"Sallustiana"

Contents.

DE

CONIURATIONE CATILINARIA

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM IN ALMA LITTERARUM
UNIVERSITATE LIPSIENSI RITE ADIPISCENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

VITAM SUAM PRAEMISIT

JOANNES BESSER.

NEOSTADII AD ORILAM
TYPIS B. PETERI,
MDCCCLXXX.

FRIDERICO ANTONIO BESSERO, PATRI

ET

HERMANNO KUENTZELIO, AVUNCULO.

Joannes Besser, Friderici Antonii Besseri, scholarum Neostadiensium rectoris, nunc emeriti, et Wilhelminæ e gente Kuentzel filius, Neostadii ad Orilam (quæ urbs sita est in Magniducatu Vimariensi) ante diem V. Kal. Sextiles anni 1856. natus est. Ab anno aetatis sexto usque ad decimum scholam primariam, deinde usque ad annum aetatis decimum quartum scholam secundariam frequentavit, ubi patre optimo duce pueri animus rudimentis linguæ latinæ et graecæ imbutus est. Secundum parentes dilectissimos puer ad disciplinam atque eruditionem Hermanno Kuentzelio avunculo plurimum debet. Puer e schola secundaria anno 1870. egressus gymnasio Schleizensi traditus et in classem tertiam receptus est; ubi magistros habuit Dudenium, tum gymnasii Schleizensis, nunc Hersfeldensis directorem, Gœllium, professorem, Fischerum conrectorem, Schuchardtium philosophiæ doctorem, quorum omnium memoriam grato pioque animo semper recolet. Sex annos in gymnasio Schleizensi commoratus adolescens examine, quod dicunt maturitatis, paullo ante dies Paschales anni 1876. aetatis suæ anno vicesimo feliciter perfunctus est. Quo facto in Universitatem Litterarum Lipsiensem, A. M., ut ad studium philologiæ classicæ et historiæ incumberet, se contulit. Interfuit ibi scholis V. D. Langii, hoc tempore Rectoris Magnifici, Curtii, Lipsii, Ribbeckii, Professorum philologiæ classicæ, deinde V. D. Noordenii

et Voigtii, historiæ Professorum, praeterea Zarnckii, Heinzii, Wundtii, Eksteinii, Professorum scholas frequentavit. Neque hoc silentio est praetermittendum, quod societatis antiquariæ graecæ, quam Lipsius, ac societatis antiquariæ latinæ, quam Langius optime ac pulcherrime regit, et seminarii regii historici, quod sub Noordenii auspiciis valde floret, sodalis fuit. Quibus V. D. in perpetuum gratiam habebit, imprimis Noordenio, magistro dilectissimo ac reverendissimo, Langio, Voigtio, Lipsio, viris amplissimis ac spectatissimis.

Neostadii ad Orilam, mense Sextili anni 1880.

Cum multi praeclari viri iam saepe ac bene de Catilinæ coniuratione egerint, tamen operæ pretium sit, eandem materiam denuo perscrutari et diligenter examinare.

Primum enim negandum non erit, comprehensionem omnium eorum, quæ usque adhuc ope artis criticæ ad fontes coniurationis Catilinariæ adhibitæ ad liquidum perducta et explorata sunt, esse necessariam. Quacum comprehensione examinatio omnium fontium, qui de coniuratione Catilinaria agunt, iterata atque accurata est coniungenda.

Deinde controversiæ et differentiæ vel maxime in hac materia sunt tantæ, ut consentaneum mihi videatur esse, de his differentiis videre, num ex rebus dubiis argumentis fortioribus prolatis res verisimiliores evadere possint, cum modo hanc modo illam opinionem virorum doctorum, qui ad haec studia incubuerunt, argumentis afferendis verisimiliorem reddamus, vel omnino, ubi res postulat, coniecturam novam faciamus.

Itaque nobis propositum est, omnes fontes, in quibus agitur de Catilinæ contra rem publicam incepto — uno Cicerone excepto, utpote qui praecipuus fons hac in re et testis verissimus sit, sed in paucis, ut infra videbimus, per scriptores posteriores, qui ex eo plus minusve pendent, vel suppleatur vel corrigatur — singulos ad fidem atque auctoritatem denuo recensere et in fine recensionis iudicium facere, quos fontes ut primarios nos sequi debeamus.

A. Sallustius.

Summi momenti est in Sallustii auctoritate ac fide diiudicanda quaestio, quas partes in re publica scriptor secutus sit, utrum partes optimatium an popularium; nam hac quaestione continetur iudicium de fide atque auctoritate scriptoris faciendum.

Sed antequam rem accuratius pertractemus, opiniones virorum clarissimorum de hac quæstione sunt audiendæ.

Mommsenius igitur censet, (Röm. Gesch. III. Bd. p. 183. 5. Aufl.) hunc Sallustii librum de Catilinæ coniuratione scriptum apologeticum esse pro C. Julio Cæsare, Johnius (in libris, qui sunt „Jahrbücher der class. Phil." Suppl.-Bd. VIII. 1876. p. 810 „Entstehungsgeschichte d. Catilin. Verschwörung") putat, Sallustium quidem secundum propositum suum consulto falsa non narrasse neque tamen studio Cæsaris esse liberum. Idem sensit Teuffel (Röm. Liter. § 193. 1. Aufl. 1870.) Hagenus sententiam expressit, (in libro, qui inscribitur „Untersuchungen über röm. Gesch." I. Theil „Catilina" p. 10 ff. 1854.) Catilinæ coniurationem esse scriptam a Sallustio contra M. Bruti librum de laudibus Catonis.

Hunc librum non ante annum 43. esse scriptum, apparet iam ex scriptoris verbis (c. $4_{,1}$; c. 53, ubi scriptor de Cæsare et Catone ut de mortuis dicit — confer Teuffel., Röm. Lit. § $193_{,2}$.) Equidem Sallustium aliqua re ad librum post Cæsaris mortem edendum esse commotum arbitror. Verisimile est, huius editionis auctorem fuisse editionem Ciceronis libri secreti, quem post Cæsaris mortem esse evulgatum Plut. Crass. c. 13 et Asconius ad Ciceron. orat. in tog. cand. (ed. Kiessling et Schœll p. 74) referunt, quo libro Cicero Cæsarem et Crassum accusavit, quod coniurationis participes fuissent. (confer. John. p. 725.) Huic neque tempus, in quod Sallustiani libri editio incidit (confer Teuffel., R. L. § $193_{,2}$.), obstat neque titulus, qui inscribitur „de Catilinæ coniuratione". (vid. Sall. c. $4_{,3}$.)

Id enim concedendum est, scriptorem melius atque efficacius hac ratione Cæsarem defendere potuisse quam si librum apologeticum ipsum pro Cæsare scripsisset. (aliter iudicat Johnius p. 810.) Puto igitur, virum sagacissimum, Mommsenium, recte sensisse et Sallustii Catilinam esse scriptum apologeticum pro Caesare argumentis certis confirmare conabor.

Itaque videamus primum, num ex scriptore ipso intelligi possit, quas partes rei publicæ secutus sit; si minus, num ex accuratiore libri lectione et ex locis scriptoris inter se comparatis appareat, scriptorem a se ipso dissidere.

Quamvis Sallustius c. 3, $_{4.5}$. dicat, sese alienum fuisse a temporis sui malis moribus, tamen certo scimus (confer Dionem Cassium l. 43, c. 9 et ad id Teuffel., R. L. § 193, $_1$.), illum proconsulem in Africa provincia se valde locupletasse. Non magis

fide digna sunt, quæ c. 4, $_2$. locutus est, animum suum rei publicæ partibus liberum fuisse, cum auctores certissimi nobis tradiderint, illum anno 52. tribunum plebis a P. Clodii partibus stetisse et postea sub Caesare magistratibus functum esse et provinciæ praefectum fuisse. (Ascon. Mil. p. $33_{,1}$; $44_{,7}$; $45_{,14}$ ed. Kiessling et Schœll; Dio Cass. $43_{,9}$: confer locos apud Teuffel. § $193_{,1}$.) Sallustius non aperte quidem dixit, se causam popularem esse amplexum, tamen loci nonnulli apud eum inveniuntur, quibus comprobetur, illum partium popularium fuisse (confer c. $10_{,6}$; 39_{1-3}; $20_{,7}$.).

Reliquum est autem, ut doceamus secundum propositum nostrum, quo modo scriptor Caesarem contra criminationem, quod ille Catilinæ socius fuisset, defenderit. Cap. 19., ubi Sallustius de coniuratione loquitur, Crassus quidem ita cum nomine Cn. Pisonis reliquorumque coniurationis prioris sociorum coniungitur, ut suspicio haud procul absit, quin Crassus coniurationis illius auctor fuerit, praesertim cum cap. 17. extr. idem inter Catilinæ coniuratos ab aequalibus quibusdam commemoretur et cum secundum ipsum scriptorem neque Catilina coniurationis caput videatur esse (confer verba c. $18_{,1}$: „sed antea item coniuravere pauci contra rem publicam, in quibus Catilina fuit") et coniuratio prior propter studia ad principatum rei publicæ et contra Pompeium conversa prorsus a coniuratione Catilinaria differat. Quaerendum est igitur nobis, unde fiat, ut Caesar, quem una cum Crasso coniurationis prioris ducem fuisse constat (confer Sueton. div. Jul. c. 9, et Ascon. ad Ciceronis orat. in tog. cand., ed. Kiessling et Schœll p. $74_{,21-24}$; $82_{,24-30}$; $83_{,1-2}$; $83_{,20-30}$.), a Sallustio non nominetur. Itaque recte putandum est, a scriptore nostro consulto Caesaris nomen hic silentio esse praetermissum, praesertim cum meminerimus, Sallustium postea Caesaris causam suscepisse. Cum scriptor porro c. 48. Crassum haud ambiguis verbis in coniurationis Catilinariæ societatem vocarit, Caesarem c. 49. in C. Pisonis et Q. Catuli, qui Caesarem inter Catilinæ coniuratos esse referendum putabant, crimina studiosissime atque splendidissime tuetur ita, ut facere non possimus, quin dicamus, Sallustii animum rei publicæ partibus non liberum fuisse (conf. John. p. 810.)

Quoniam ex Cicerone, ut postea erit demonstrandum, (in Pison. c 2. $_4$. $_5$.; pro Mur. § 49—52) et ex aliis fontibus (Dione Cass. l. 37. c. 29; Epit. Liv. l. 102., Vell. Paterc. II, 34, Flor. IV, 1; Eutrop. IV, 15.) scimus, coniurationem Catilinariam non exortam esse ante

annum 63, et eum ex Sallustii locis c. $20_{,1}$; $20_{,14-17}$; $21_{,5}$ eluceat, coniuratorum concilium in Catilinae domo nihil aliud fuisse nisi cohortationem et eam quidem, ut coniuratis Catilinae petitio consulatus curae esset, a veritate non nimis aberrare mihi videor contendens, Sallustium concilium coniuratorum consulto cum concilio petitionis consulatus causa habito commiscuisse, quod dicturus non erat, Caesarem et Crassum Catilinae petitionem anno 64. omnibus viribus adiuvisse. Si enim scriptor narrasset, Caesari Catilinae petitionem curae fuisse, facile in animos eorum, qui librum de coniuratione legebant, suspicio incideret, Caesarem quoque in coniuratorum numerum esse referendum — id quod scriptor omni modo vitare voluit. Neque tamen negari potest, aliquid veri scriptorem narrationi admiscuisse, ne Caesaris ab adversariorum criminibus defendendi consilium perspiceretur. Haec est commemoratio nobilium eorum (c. $17_{,5}$.), qui „paullo occultius coniurationis participes“ fuere, in quibus Crassus secundum Sallustium — non enim ille crimina Crasso facta refutat — est nominandus. Haec verba continent „veritatem et poesin“, quatenus id, quod de Catilinae sociis occultioribus dictum est, tantum ad fautores petitionis Catilinae vere spectat ideo, quod illo tempore coniuratio Catilinae non erat. Porro dubitandum non erit, quin Sallustius habeat, cur coniurationem iam anno 64. esse factam narret. Eo enim, quod Catilina iam anno 64. coniurationis caput factus est, scriptorem id egisse verisimile est, ut Caesar Crassusque, qui tantum opera Catilinae, si consul factus esset, uti volebant ad consilia sua ipsorum perficienda, non iam auctores contra rem publicam incepti anno 64. esse viderentur, sed ut Catilina iam tum coniurationis caput haberetur, itaque Caesaris machinationes contra rem publicam in petitione consulatus Catilinae factae in oblivionem venirent. Aliud testimonium rationis, qua scriptor multa, quae digna sunt, quae commemorentur, reticeat, narrationis exilitas est in cap. 24—26. Nihil enim de machinationibus popularibus in senatus maiestatem, quae sub Caesaris auspiciis erant (vid. Dio. Cass. 37, 26. 27.; Cic. de leg. agr. II, § 44. 50. 54.), refert, quamquam certamina inter optimates et populares ab extremo anno 64. per complures menses anni 63. valde florebant. Nobis igitur ideo, quod scriptor iam saepius (ut supra vidimus), ubicunque Caesaris nomen erat nominandum, Caesaris machinationes neglexit, nihil aliud relinquitur nisi ut censeamus, illum hic ob eandem causam has res, quae magni momenti erant, omisisse. Quantopere autem ipse senserit, narrationem suam de

coniurationis origine claudicare; huius rei testimonia sunt tres partes, in quas coniurationem distribuit, quasi inter se differentes (confer Dübi., p. 22. 27. de Catilinae Sallustiani fontibus ac fide, Bernae 1872.).

Huc pertinent errores compositionis, qui apud scriptorem inveniuntur illis locis, quibus insciens idem dicere videtur. Cum dicat (c. $17_{,1}$), Catilinam circiter Kal. Junias anni 64. iam homines convenisse eosque praemiis coniurationis sibi adscivisse et c. $20_{,14}$. iterum de coniurationis praemiis loquatur, tamen coniuratos c. $21_{,1}$ postulantes, ut Catilina proponat, quae haec praemia sint, facit. (J. Wirzius primus p. 42. libri sui, qui inscribitur, „Catilinas und Ciceros Bewerbung um den Consulat für das Jahr 63. Zürich 1864." id recte cognovit.) Quod autem commemorat, Cn. Pisonem in Hispania citeriore et P. Sittium Nucerinum in Mauretania Catilinae socios fuisse eo tempore, quo scriptor Catilinam verba apud socios facienten fingit (c. $21_{,3}$), plane falsum est, quoniam constat, Pisonem tum iam fuisse mortuum, Sittium autem nondum in Mauretania esse commoratum (confer Wirz. p. 47. 49. et Hagenum, p. 146.).

Haud scio an postremo ad Mommsenii sententiam confirmandam hoc sit afferendum: Vix enim intelligi potest, quomodo futurum fuerit, ut Catilina anno 64. consul non crearetur, si iam tum tantam sociorum multitudinem secum habuisset, quantam illum secum habuisse Sallustius c. 16. 17. narrat, praesertim cum Caesar atque Crassus et populares eum in petitione consulatus omnibus modis viribusque adiuverint (confer Ascon. ad. Cicer. orat. in tog. cand. ed. Kiessl. et Schœll p. $74_{,13-21}$, item Appianum in bell. civ. l. II, c. 2.). Ex iis, quae adhuc dixi, mihi videor docuisse, quam recte Mommsenius censuerit, Sallustii librum de Catilinae coniuratione librum pro C. Julio Caesare apologeticum esse scriptum. Atque ne hoc quidem, quod Sallustius c. 53. 54. Catonis virtutes non minus quam Caesaris praedicavit et c. $54_{,4}$ liberius de Caesaris studiis locutus est, impedit, quominus hanc sententiam teneamus. Quin etiam facilius fieri potuit, ut scriptor laudatione Catonis sententiam suam veram dissimularet, quam si solum Caesarem laudibus affecisset; praesertim cum ei liceret, liberius de Caesare tum mortuo dicere neque tamen consilium Caesaris ab adversariorum criminibus defendendi oblivisci. Itaque puto neminem mihi locos Sallustianos c. $37_{,1.10}$. c. 38. c. 39., ubi scriptor non minus popularium quam optimatium perniciosa studia vituperat et c. $52_{,16}$., ubi Catonem verbis suis Caesarem in suspicionem coniurationis vocantem facit,

esse oppositurum, quod, si scriptor hic quacunque ratione a vero deflexisset, futurum fuit, ut ille consilio suo maxime noceret.

Jam reliquum est, ut, quod supra nobis proposuimus, accuratius examinemus, quantum fidei et auctoritatis Sallustio insit, sed ita, ut tantum ea afferamus, quæ a sententiis plerumque receptis abhorreant. Viri docti, qui nuper de Sallustii fide atque auctoritate scripserunt, valde inter se dissentiunt. Dübi enim (diss. p. 5. 9. 10. ff.) censet, Sallustium multa ex Ciceronis orationibus hausisse, alia ex aequalium memoria, nonnulla ex senatus actis consultisque. Johnius autem putat (p. 787. 788.), Sallustium Ciceronis orationibus parum diligenter usum esse, si quidem omnino illis usus sit. Postremo Schliephackius (in scripto, quod inscribitur „über die griechischen Quellen zur Catilinarischen Verschwörung, Realschulprogramm von Goslar 1877 — p. 12.) dicit, Sallustium potissimum e memoria ac traditione hausisse.

Sed transeamus ad singula.

Unde scriptor excursiones historicas, quæ c. 6—13. continentur, sumpserit, nescimus neque tamen negari potest, scriptorem hic non semper fontes suos secutum esse, sed multa (confer narrationem temporum Sullanorum sequentiumque temporum c. 11—13.) ex iis, quæ audierat et memoria tenebat, hausisse. Nam c. 11—13. docuit, se Sullæ dominationem non probare (confer id, quod de Sallustii ratione politica p. 2—5 diximus.). Nec quisquam dubitet, quin ille putarit, iis vitiis, quæ ad rem publicam labefactandam multum valebant, avaritiam ac luxuriam dico, maxime optimates floruisse (vid. c. $11_{,4}$; $12_{,1\cdot2\cdot3}$.) Recte Dübi (diss. p. 9. 10.) mihi videtur sentire, Sallustium in iis, quæ ad mores et vitam Catilinæ Catilinariorumque spectant (conf. c. 5. 14. 15.), Ciceronis orationibus usum esse. Attamen dubitandum erit, num Cicero solus auctor hic fuerit. Nam cum Cicero non dilucide de Catilinæ consiliis loquatur, inde sequitur, ut verba scriptoris, quæ ad hanc rem pertinent, (confer c. $5_{,4\cdot5\cdot6}$.) ex Cicerone sumi non potuerint. Puto me non errare contendentem, Sallustium haec ex sermonibus aequalium sumpsisse. Verba c. $5_{,4}$: „satis eloquentiæ, sapientiæ parum," et verba c. $5_{,7\cdot8}$., quæ ex animi vi et natura omnia consilia factaque repetunt (item res se habet c. $15_{,3-5}$; $18_{,4}$. confer Wirz p. 55.), scriptor de suo sumpsit; nam apud Ciceronem nihil eiusmodi invenias. Quæ scriptor c. 18. et 19. de priore coniuratione refert, ea plane falsa esse, non cum Hageno (p. 91. ff.), quem Dübi sequitur (diss. p. 11.), contenderim. Primum, quominus horum virorum sententiam approbem, me impedit

id, quod scriptor his capitibus chronologiam non neglexit, (id quod postea saepius fit, ut videbimus), sed ter dies certos ac ratos (confer c. 18, ₂. Nonas Decembres a. 66. et Kal. Januar. a. 65. et c. 18, ₆. Nonas Februarias a. 65.) attulit. Deinde ea crimina, quibus Sallustii fidem scriptores recentes de coniuratione Catilinaria impugnarunt (conf. Dübi., diss. p. 11—13), nullius momenti mihi videntur esse praeter id, quod scriptor consulto nomina C. Julii Caesaris (confer id, quod p. 2—5 diximus.) et P. Sullæ praetermisit (Johnium p. 708—11 videas.) Cum scriptoris verba valde offenderint (conf. Dübi., diss. p. 12. 13) c. 18, ₃. — Catilina, pecuniarum repetundarum reus — tamen scriptorem hic recte narrare existimo. Dübi quidem docere conatur, Sallustii verba „repetundarum reum" esse falsa, sed cum eo consentire non possum ideo, quod Asconius (ed. Kiessling et Schœll p. 75, ₂₁₋₂₄; 76, ₁. ₂) narrat, Catilinam absentem ab Afris legatis in senatu repetundarum esse accusatum, et multas graves sententias de eo in senatu esse dictas. Sed cum Catilina se consulatus candidatum professus esset, L. Volcatium Tullum consilium publicum habuisse, utrum Catilinæ ratio haberetur necne, Catilinam autem petitione destitisse, quod repetundarum reus factus esset. (Aliter interpretatur Dübi p. 13 verba Asconii „nam repetundarum quaerebatur".) Cum enim sciamus, Catilinam Cotta et Torquato consulibus a P. Clodio repetundarum esse accusatum (confer Lange, Röm. Altert. III, p. 226. 2. Aufl.), tamen nego, fieri potuisse, ut Catilina Cotta et Torquato demum consulibus reus fieret. Nam intelligere non possum, quo modo fieri non potuerit, ut Catilinæ causa ab anno 66. in annum 65. differretur, praesertim cum Catilina consilio publico habito consulatus petitione desisteret, id quod senatus voluit. Praeterea dubitandum non est, quin futurum fuerit, ut non consilium publicum haberetur, nisi Catilina, de quo absente Afri legati questi sunt, iam repetundarum accusatus esset, deinde ut omnino accusatores causam contra Catilinam ad iudices deferre non tamdiu cunctarentur.

Sed pergamus. Nescio quomodo Johnius (p. 712 Not. 16.) Dietschio assentiens, ad eam sententiam venerit, ut statueret ante verba Sallustiana c. 18, ₆ „ea re cognita" aliquid excidisse. Non enim est, cur aliquid excidisse statuendum sit. Contendo igitur, verba, quæ supra diximus, nihil aliud significare nisi haec: consilio coniurationis cognito coniurati consilium transtulerunt. Ipse Cicero auctor certissimus huius rei est, qui refert in or. Catil. I, § 15, Catilinam pridie Kal. Januar. Lepido et Tullo consulibus manum

principum civitatis interficiendorum causa parasse, et pro Sulla § 11—13 (confer pro Sulla § 68), Torquato consule designato coniurationem esse factam et apertam; nam Cicero pro Sulla § 11. 12. consilium principum civitatis, quod coniuratione cognita habuerunt, commemorat. Porro cum sciamus, (vid. Cass. Dionem 36, 44.), Torquato et Cottæ praesidia a senatu esse concessa, nobis nihil aliud relinquitur nisi ut sumamus, Sallustium rem recte narrasse.

Verba scriptoris c. 18, 8 „iam tum non consulibus modo, set plerisque senatoribus perniciem machinabantur" historici recentiores scriptori vitio dant, cum dicant (conf. Dübi., dissert. p. 15., John. p. 711 Not. 16), illum discernere inter consilium ad Kal. Jan. et ad Nonas Febr. initum. Quam differentiam esse inter utrumque consilium, nego; omnino contendo, nihil differentiæ esse. Nam si scriptor discrimen inter verba c. 18, 5 — L. Cottam et L. Torquatum consules interficere — et verba quæ supra diximus, facere voluisset, tum non particulis „iam tum", sed „tum demum", quæ discrimen significarent, usus esset. Dubitarim igitur, num particulæ „iam tum" hanc differentiam, quam adesse viri illi putant, significare possint. Equidem existimo, scriptorem verbis „iam tum etc" nihil aliud dicere voluisse nisi consilium coniuratorum iam anno 66. late patuisse, quoniam iam tum non modo consules sed etiam maximam senatus partem coniurati necare in animo habuissent. Scriptor igitur his verbis tantum narrationem, quam c. 18, 5 brevibus verbis affert, uberius atque accuratius profert.

Sed etiamsi, ut supra (p. 3) vidimus, Sallustius consulto Caesaris nomen silentio c. 18. 19. praetermittat et Catilinam per vim fascibus consularibus Kal. Janu. a. 66. potiri studuisse falso commemoret (vid. John. p. 711. 712.) nec P. Sullam illo tempore coniuratum fuisse dicat, tamen concedendum non est, Sallustium de priore coniuratione omnino falsa referre, praesertim cum ei non fuerit, cur in iis rebus, quæ ad Caesarem non spectabant, a veritate aberraret. Itaque non habemus, cur dubitemus, num scriptor vera de coniuratione priore narret, quoniam dies certos adferens tradit, Crassum in suspicionem vocatum ipsamque illam coniurationem in senatus auctoritatem atque in Cn. Pompeium directam esse, et commemorat, quo modo factum sit, ut senatus Cn. Pisonem coniurationis socium in Hispaniam citeriorem, (id quod iam coniurati voluerant) dimitteret, ut provinciæ illi imperaret. Neque magis de veritate eorum quæ ad Nonas Februarias anni 65. coniurati audere constituerant, sed non perfecerant, dubitandum erit. Quamquam haud certo scimus,

quem fontem scriptor c. 18 et 19. secutus sit, tamen verisimillimum esse ducimus, illum ex aequalibus nonnulla de coniuratione priore audisse, quæ in unum composuit. Testes autem huius coniecturæ verba Sallustii c. 19, $_{4.\ 5.}$ „sunt, qui ita dicant, imperia eius iniusta superba crudelia barbaros nequivisse pati, alii autem, equites illos etc" videntur esse, e quibus cognosci potest, illos Sallustii quidem aequales fuisse, sed aequales maiores natu, qui iam temporibus coniurationis prioris vixerunt et eo tempore, quo „Catilinam" scriptor edidit, nondum mortui erant. Atque de coniuratione priore haec hactenus; videamus nunc, quid scriptor de coniuratione Catilinaria referat.

De tempore, quo scriptor sumit coniurationem esse ortam, iam satis p. 3. 4. 5. dixisse mihi videor.

Verbis c. 17, $_7$ „fuere item ea tempestate, qui crederent, M. Licinium Crassum non ignarum eius consilii fuisse" scriptor ad coniurationis aequalium sermones recurrit, id est, Caesaris et Crassi adversariorum sermones. (confer Sueton. d. J. c. 9.) Verba illa Sallustiana (vid. c. 14, $_7$.) „scio fuisse nonnullos, qui ita existimarent, iuventutem — parum honeste pudicitiam habuisse, set ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama valebat", dubium mihi non est, quin Ciceronis relationi de iuventutis, quæ Catilinæ favebat, corruptis moribus (confer Cic. in Cat. II, 10. II, 23) opposita sint. His autem verbis Ciceronem a Sallustio peti crediderim, praesertim cum Sallustii consilium narrandi supra cognoverimus. C. 48, $_{8.\ 9.}$ scriptor aperte dixit, sese audisse, a Cicerone Crassum in coniurationis suspicionem esse vocatum neque commemoravit, se haec in medio relinquere, id est, se iudicio abstinere (id quod fecit in c. 19, $_5$. c. 22, $_3$.) Quid? Nonne Cicero his videtur impugnari?

De concilio in Catilinæ domo iam supra quidem (p. 4.) dixi sed tamen nonnulla mihi videntur esse addenda, quæ ad scriptoris fidem diiudicandam pertinent.

Quamvis enim Dübi (diss. p. 18.) Sallustio narranti, viros, quos c. 17. Catilinæ socios nominat, maxima necessitate laborasse vitio det, tamen id concedere non possum. Ex Cicerone enim scimus (in Cat. II, 19 — nam nobiles Romanos in secundam classem, esse referendos, nemo erit, qui neget — confer ad id Plut. Vitam, Cic. c. 10), nobiles inter coniuratos, qui dominationi studebant, maximam partem aere alieno oppressos esse. Quod ad verba c. 21, $_1$. — homines, quibus mala abunde omnia erant, sed neque res neque spes bona ulla, — pertinet, haec ad nobiles quidem Romanos accom-

modata non sunt (confer Dūbi., diss. p. 18), sed ad alios coniuratos, Sullanos, Marianos, omnino pauperes miserosque (confer Wirz. p. 42), quos concilio in Catilinæ domo interfuisse ipse Sallustius oratione sua (c. 20. 21.) docere videtur (vid. c. 21, $_{5}$. c. 20, $_{2}$. $_{3}$; 20, $_{14}$. $_{15}$.) Illos homines potentia floruisse, (contra Dūbi., diss. p. 18.) negarim, quod putare non possum, illos auctoritatem opesque habuisse, quorum nonnulli prioribus annis iudiciis damnati erant. (confer Plut. Cic. c. 17. de Lentulo, Cic. pro Sulla §§ 6. 7. 89. — de Varginteio, Autronio, P. Sulla., Dio. Cass. c. 36, 44.) Verum porro est, quod Sallustius refert, ante comitia consularia anni 64. Catilinæ iam necessitudinem atque amicitiam cum Antonio fuisse (c. 21, $_{3}$.). Quam amicitiam Catilinæ et Antonii non ad coniurationem, sed ad coitionem spectasse, ex Ciceronis oratione in tog. cand. intelleximus.

c. 22. scripter rumorem, a coniurationis aequalibus exortum, quem alteri verum esse putant, alteri negant, nobiscum communicat. Cum rumoris fidem in medio relinquit, se de veritate eius dubitare docet. Qua ex re cognosci potest, Sallustium non sine iudicio de coniuratione scripsisse (confer ad id c. 19, $_{4}$. $_{5}$.).

Quamquam S. c. 23. refert, iam ante comitia consularia anni 64. rumores de coniuratione percrebuisse, tamen de hac narratione recte dubitandum est, quod coniuratio Catilinaria illo tempore revera nondum exstitit. (confer John. p. 746 ff. et Wirz. p. 55.).

Quod autem narrat, Fulviam cura de rei publicæ salute commotam complures de coniuratione certiores fecisse, non multum fidei habet. Huc accedit, quod suspicio in illam Sallustii narrationem augetur eo, quod Diodorus Siculus (confer l. XL. apud Muellerum in fragm. hist. graec. II p. XXVI. Fragm. 35) tradit, Fulviam cum Ciceronis uxore, Terentia, communicasse rem coniurationis extremo anno 63. (de tempore, quo Fulvia rem dicitur communicasse, Diodorus sine dubio erravit — confer Cic. pro Sulla § 14; in Cat. I, § 8. 10. Plut. Cic. c. 16.) Rumores de coniuratione Catilinaria per urbem Romam dissipatos Ciceronem imprimis ad consulatus dignitatem promovisse nego, sed in eo cum Sallustio consentio, optimates initio Ciceronis petitioni consulatus non favisse, cuius rei ipse Cicero de leg. agr. II, § 1—6 testis est.

E coniectura suspicer, rumores quidem Ciceronis petitioni profuisse, sed rumores de periculo a popularium ducibus, qui tum Catilinam Antoniumque in consulatus petitione omnibus viribus (confer Adnot. Asconii ad § 1 orat. in tog. cand.) adiuverant, nobilitatis dominationi instante. Cuius rei auctor Cicero est, qui in orat. in

tog. cand., ut ex fragmentis huius orationis cognosci potest, nobilitati metum iniecit, ne Catilina Antoniusque, par consulum, cum popularibus coniuncti rem publicam vexarent. Itaque facile fieri potuit, ut Sallustius rumores, qui ad Caesaris Crassique necessitudinem cum Catilina spectabant, posteritatem celaret, praesertim cum cognoverimus, quod consilium narrandi ille secutus sit (confer p. 2—5).

Secundum Sallustium (c. 24) Catilina repulsam passus revera coniurationem praeparavit. Cum iam ante comitia consularia Catilinam coniurationem facientem fingat, post eadem comitia Catilina coniurationem auxisse et omnia ad coniurationem praeparasse dicitur. Estne contradictio? Recte igitur Dūbi (diss. p. 24) quaerit, num fieri potuerit, ut Catilina statim post repulsam anno 64. acceptam arma per Italiam distribueret omniaque ad tumultum publicum praepararet, cum ex Cicerone (confer orat. in Cat. I, § 7, II, § 5, — I, § 9. 24 etc.) sciamus, ea anno sequenti facta esse. Ex quo intelligitur, quam non firma sententia eorum sit, qui Sallustii auctoritate nixi putant, coniurationem iam ante annum 63. factam esse.

Quod ad vitam moresque Semproniæ (c. 25) attinet, scriptor adiecit ideo, nisi fallor, quod ipse sensit, quam exilis esset narratio cap. 24—26. Totum illud caput (c. 25) nihil aliud nisi excursus est.

Haud recte scriptor mihi videtur c. 26. narrasse, Ciceroni principio consulatus Catilinam insidias parasse et Ciceronem per Fulviam a Curio impetrasse, ut Catilinæ consilia proderet. Initio enim anni 63. popularium impetus in senatus maiestatem facti sunt, quo tempore Catilina Ciceroni insidiatus esse nusquam refertur (confer ad id Plut. in Vita Cic. c. 12. 14.), praeterquam quod illo tempore coniuratio nondum facta est.

Principio anni 63., S. c. 26. pergit, Cicero Antonium collegam eo adduxit pactione provinciæ, ne contra rem publicam sentiret.

Quod ad hanc pactionem pertinet, Plutarchus in Vita Ciceronis c. 12. refert, Ciceronem iam primis anni 63. diebus Antonio Macedoniam provinciam suam promisisse itaque in eo fuisse, ut legibus agrariis fortiter resistere easque infirmare ac tollere posset. Ex quo intelligitur, Ciceronem, praesertim cum illo tempore coniuratio nondum facta sit, id egisse (at contra Plutarchus in Vit. Cic. c. 12. falso narrat, Antonii consulis societatem cum Catilinariis magis quam cum popularibus optimatibus metum iniecisse), ut Antonius Ciceronis promissum adeptus a popularium partibus removeretur. Quam rem ita se habere docent loci apud Ciceronem de leg. agr. II, § 103 et de leg. agr. I, § 26. Neque tamen sententiæ nostræ

obstant Ciceronis verba in orat. in Pisonem § 5: „ego Antonium collegam, cupidum provinciæ, multa in re publica molientem, patientia atque obsequio meo mitigavi“, quæ verba non minus ad Antonii cum popularibus coniunctionem quam ad eam, quam cum Catilina inierat, spectare possunt. Antonium autem pactione provinciæ facta per totum annum 63. non modo de coniunctione cum Caesare Crassoque, sed etiam cum Catilinariis suspectum fuisse, huius rei testes sunt loci Ciceroniani pro Sestio § 8. 11; in Cat. III, 14; pro Mur. § 49 et Cassius Dio 36, 25. Sed et ipsi popularium machinationum in optimates eventus sententiam nostram verisimilem reddunt; nam haud scio an recte Antonio tribuendum sit, quod pactione provinciæ commotus parum acriter ac fortiter Ciceroni impetus populares impugnanti restitit. Quamvis negandum non sit, a Sallustio verba ad pactionem provinciæ pertinentia tantum de necessitudine Antonii cum Catilina esse dicta, tamen docuisse mihi videor, Plutarchi narrationem, praesertim cum Plutarchus rem uberius retulerit, Sallustio esse praeferendam.

De comitiis consularibus, quo tempore facta sint, Johnius (p. 749—63) bene egit. Sed hic tantum nobis dicendum est, ex Sallustio non elucere, quo tempore comitia consularia anni 63. sint habita.

Sallustium c. $27_{,1}$. ducum Catilinariorum dimissionem recte commemorasse, docent, ut puto, Cic. pro Mur. § 49 et Plutarchus in Vit. Cic. c. 14., qui narrant, Sullanos veteranos Romam venisse, quo Catilinæ petitionem consulatus adiuvarent. Recte igitur Dübi (diss. p. 28) scriptorem vituperat, quod nusquam in capitibus prioribus retulerit, Sullanos Romam venisse (confer c. $24_{,2}$.). Qui error Sallustii levitati, qua in fontibus suis usus est, videtur esse tribuendus. (Confer ad id relationem de Cn. Pisone et P. Sittio c. $21_{,3}$; c. 19.) Atque idem caput (c. 27) rursus documento est, scriptorem parum diligenter fontes suos excerpsisse, nam cum narret, quo modo Catilina post comitia consularia habita egerit, tamen nihil dicit de caede ante diem XII. Kal. Nov. et ante diem V. Kal. Nov. praeparata (cuius rei Cic. in Catil. I, § 7 et Plutarchus in Vit. Cic. c. 15. meminerunt; confer John. p. 788. 792. 794.) Idem scriptor non commemorat, quo modo factum sit, ut Catilina se in liberam custodiam daret. Quod ad temqus concilii in domo Laecæ habiti attinet, mihi dubium non est, quin S. ignorarit, quo tempore illud factum sit (confer John. p. 780. 781). Transpositio autem Linkeri reiicienda est, ut Dübi (diss. p. 29. 30.) videtur recte docuisse. Non putarim, Sallustium Ciceronis scripta ad conventum in domo Laecæ

enarrandum adhibuisse ideo, quod illi scriptores nimis inter se dissentiunt, quamvis (Dūbi diss. p. 32) sit verisimile, scriptorem nostrum Ciceronis oratione prima in Catilinam (confer § 32) et tertia (confer § 16 et 17) usum esse, ut doceret, quæ Catilina in urbe moliretur (de locis Ciceronianis, qui ad hunc conventum pertinent, videas Dūbi., diss. p. 34 ad c. 32.). Sallustium ad arbitrium suum coniurationis historiam enarrare, haec scriptoris verba „docet, se Manlium praemisisse ad eam multitudinem —; item alios in alia loca opportuna" (c. 27.₄), quæ verba recte Johnius (p. 780) Baurum sequens vituperat, videntur indicare. Quod autem refert, Catilinam de sociorum ignavia questum esse, haud scio an non sit falsum, cum Cass. Dio 37, 32. dicat idem, quo loco haud verisimile est, ut postea docebimus, Dionem Sallustio esse usum. At contra Sallustii verba c. 28.₁. — „Igitur perterritis ac dubitantibus ceteris (C. Cornlius, eques Romanus, operam suam pollicitus et cum eo L. Vargunteius senator constituere. . . . . Ciceronem — confodere)" ad ipsam rem esse parum accommodata, Cassius Dio loco, quem supra diximus, docet.

c. 28,₂. S. recte refert, Fulviam cum Cicerone periculum communicasse (confer Plutarch. in Vit. Cic. c. 17.). Quem fontem scriptor hic secutus sit, haud certo scimus, sed tantum dicere possumus, fieri potuisse, ut Ciceronis orationes Catilinarias parum accurate excerperet: quamvis putem illum ex traditione hausisse, ad quam diversitates inter Ciceronem et Sallustium spectant.

Particula „interea" c. 28.₄. respondet eidem particulæ c. 27.₁., cum illa doceat, quid a coniuratis extra urbem fiat, haec, quid in ipsa urbe. Non habemus, cur dubitemus, quin vera sint, quæ c. 28.₄. legantur, Manlium tum Marianos et nonnullos e Sullanis veteranis, qui latrones facti erant, sibi adscivisse, praesertim cum ipse Cicero dicat (pro Mur. § 49. 50., in Cat. II, § 5. 20.), Marianos coniurationis participes fuisse. Haud scio an haec scriptor ex aequalium sermonibus hauserit.

Scriptorem non cognovisse, qua de causa senatusconsultum ultimum decerneretur, (c. 29,₁.) Johnius (p. 793. 794) haud male docuit. Sed idem caput testimonio est, Sallustium fontes suos levissime excerpentem historiam coniurationis ad voluntatem suam scripsisse.

Scriptoris verba c. 30.₂: „simul — alii portenta atque prodigia nuntiabant, alii conventus fieri, arma portari" a veritate abhorrent, quod ad tempus, quo haec omnia esse facta ille refert, pertinet; nam Plut. in Vit. Cic. c. 14. narrat, prodigia iam ante comitia consularia

esse facta et Cicero pro Mur. § 52., iam aliquanto antea coniuratos arma portasse (confer ad id in Cat. I, § 7.); verba denique „conventus fieri" omnino tam generaliter dicta sunt, ut scriptor nihil certi de ea re videatur audisse (nam nemo erit, qui infitietur, scriptorem his verbis ad coniuratorum coetum in Laecae domo factum spectasse, id quod paullo ante c. 27, $_{3.\,4.}$ commemoravit,). Cum senatus decreta, quæ c. 30, $_{3-7.}$ S. nobis tradidit, ex senatus actis sive decretis ipsis sumpta videantur esse (Dübi, diss. p. 33.) et cum nobis non sit, cur recte de his dubitemus, nobis quidem nihil aliud relinquitur, nisi ut scriptorem ipsa facta vere enarrasse sumamus. Sed de tempore, quo haec facta esse scriptor refert, nobis est dubitandum. Decretum enim de custodiis in ipsa urbe habendis prius quam cetera, id est, confestim post S. C. U., factum esse, Cicero in Cat. I, § 7. 8. et Cassius Dio 37, 31. testes atque auctores sunt. (confer Johnium p. 799.) De gladiatoribus Capuam et in alia municipia distribuendis, item de ceteris scriptoris decretis Johnius (p. 797.) bene agit. Itaque facere non possum, quin existimem cum Johnio (p. 799.) scriptorem quidem senatus acta inspexisse, sed temporis ordine non servato collegisse atque historiæ suæ intexuisse. Unde S. c. 31, $_{1-3.}$ coniecerit, populum timuisse, me scire non contendo quidem, sed putarim hoc ex aequalium sermonibus, non ex scriptore aliquo illum hausisse, etiamsi ipse Cicero in Cat. I, 1 timorem populi pariter ac Sallustius depingat, sed ita, ut fieri non potuerit, ut hic ex illo hanc narrationem sumeret. Catilinam de vi esse accusatum, (confer Sall. c. 31, $_{4}$.) auctor est Cassius Dio 37, 31.

Dubitarim, num scriptor Ciceronis oratione prima in Catilinam c. 31, $_{5-9.}$ usus sit, ideo quod ille toto capite nihil narrat, quod apud Ciceronem inveniatur, quamvis meminerit, Ciceronis orationem rei publicæ utilem fuisse et Ciceronem hanc postea edidisse. Quod ad verba „dissimulandi causa vel sui expurgandi — in senatum (Catilina) venit" pertinet, negem haec a veritate abhorrere. Nam nemo erit, qui dubitet, quin fieri potuerit, ut Catilina sui expurgandi vel dissimulandi causa in curiam veniret, praesertim cum Cicero referat, Catilinæ magnam multitudinem familiarium et fautorum in curia fuisse, (in Cat. I, § 5. 6. 30., II, 3.) et Diodorus Siculus (vid. J. Bekkeri edit., tom. III, 40, $_{5}$. p. 196.), Catilinae fautores paene prohibuisse, quominus Cicero vetaret, Catilinam in urbe diutius commorari. Praeterea certo scimus, Catilinam re vera in senatu se defendere ausum esse (confer Cic. in Cat. I, 20. 21.; Diodor. Sic.).

Recte Johnius (p. 786) docuit, Sallustium non cognovisse, qua de

causa Cicero orationem I. in Cat. habuisset, cum ille nesciret, caedem consuli Ciceroni praeparatam fuisse illius orationis causa. Scriptor enim nullo modo hanc orationem cum relatione de caede praeparata ita coniunxit, ut illa causa huius intelligenda esset.

Sed qua fide verba, quae scriptor Catilinam in curia facientem fingit, digna sint, nobis deinde quaerendum est. Quae in veritate videntur non esse posita, quod ille verbum „inquilinus" hic falso loco commemoravit (confer Appianum de b. c. II, 3.) et quod vix credendum est, Catilinam sic apud senatores dixisse, ut scriptor eum dicentem facit, et quod verba, quae Catilina e curia decedens fecisse dicitur, secundum Ciceronis auctoritatem (confer pro Mur. § 51.) aliquanto ante iactata sunt. (confer Diod. Sicul.) Itaque sententiae me dedam, scriptorem hic ex aequalium sermonibus hausisse et ea, quae audivit, ad arbitrium suum narrasse (confer Dübi., diss. p. 34.) Postremo nescio an S. recte referat, dicens, § 8. cap. 31., senatores Catilinae voce contumeliosa audita obstrepuisse illumque parricidam vocasse, praesertim cum Cicero nihil eiusmodi commemoret et Diodorus Siculus a scriptore nostro dissideat.

De iis, quae S. c. 32. enarravit, mihi Johnius (p. 802.) et Dübi (diss. p. 34.) videntur satis egisse. Cap. 32. rursus testimonio est, illum historiam coniurationis exornasse.

Mandata autem, quibus Manlius legatos instructos ad Marcium Regem dimisit, vera esse existimo, quamvis fortasse concedendum sit, Sallustium mandata suis verbis reddere. Idem de Q. Marcii responso habeo, quod dicam. Verisimile est, in actis senatus aliquid eiusmodi esse promulgatum. Item non habemus, cur dubitemus, quin verum sit, Catilinam plerisque consularibus literas misisse (c. 34, 2.) Epistolam ad Q. Catulum non fictam esse, verba Sallustii c. 34, 3 „earum exemplum infra scriptum est" videntur indicare (confer Dübi., diss. p. 35.)

Ex Cicerone ipso haec esse sumpta, quae S. de C. Flaminio et de senatus decretis refert, non cum Dübio sumam (confer Dübi., diss. p. 36.), sed ex senatus actis, quae Cicero pervulgari iussit (confer Cic. in Cat. III, § 3; pro Sulla § 41—43), ideo quod nullo loco Ciceroniano eadem inveniantur, nisi forte sumis, e scriptis Ciceronis, quae nobis non iam sunt tradita, haec esse sumpta.

Johnio autem putanti (p. 762, not. 45.) a scriptore nostro tempus illius senatusconsulti, „ut Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet, falso esse proditum, assentiri non possum. Nam cum iter circiter 4 dierum a Roma usque Arretium et usque Faesulas

sit iter 5 dierum, Catilina autem lente in via Aurelia profectus (in Cat. II, § 6.) et paucos dies apud C. Flaminium commoratus in Manlii castra intraverit, certum est, Catilinam, qui nocte ante diem VI. Id. Nov. Romam reliquerat, intra octo dies ad Manlium venire non potuisse. Romam autem nuntio allato, Catilinam cum insignibus in Manlii castra Arretio relicto se contulisse, senatus Antonium contra Catilinam dimisit. Ex quo intelligitur, Antonium, praesertim cum circiter 4 dies 8 diebus adnumerandi sint — nam prius is nuntius, quem supra diximus, Romam pervenire non poterat — ante diem XII. Kal. Dec. in Catilinam proficisci non potuisse. Cui tempori non obstat illud Ciceronis in orat. pro Flacco § 98 (confer pro Mur. § 84.)

A cap. 36, $_4$. usque ad c. 39, $_3$. scriptor digressionem facit, cum dicat de periculo ex coniuratione instante, cui maxima pars plebis, denique omnes optimatium adversarii faverint, et de studiis partium vehementibus. His capitibus scriptorem nostrum in nonnullis Ciceronis auctoritatem esse secutum Dübio concedere non possum. Nam res ipsa postulat, ut vocabula ut „sentina“, vel synonyma ut „contagio, tabes“ in rerum Romanarum iniquitate enarranda usurpentur. Si praeterea Dübi (diss. p. 36. 37.) contendit, a Sallustio eadem omnino genera hominum, quae Cicero ut fautores consiliorum Catilinae attulit, afferri, id mihi non probandum est; nam scriptor urbanam plebem, quae „praeceps erat“, in septem classes sive genera dividit (confer Sall. c. 37, $_{4-10}$.); huc accedit, quod Cicero in orat. II in Catil. coniuratos in sex classes distribuit, noster autem plebem „praecipitem“. Postremo nego, sententias, quas Dübi utrique communes esse censet, hunc ex illo sumpsisse, ob eandem causam, quam de synonymis commemoravi. Sed potius putarim, scriptorem secundum rumores vulgares haec exposuisse.

Nuntius de Fulvio, quem S. c. 39, $_5$. commemorat, a Dione Cassio (l. 37, c. 36.) confirmatur. Scriptorem in eo aequalium sermonibus nixum esse, probabile est.

Quod Sallustius c. 39, $_6$. refert, Catilinam homines cuiusque generis sollicitasse, non habemus, cur dubitemus, praesertim cum ipse Cicero in Cat. III, § 4. referat, Lentulum Allobrogum sollicitationis auctorem fuisse.

C. 40. scriptor noster narrat, quo modo Allobroges ad coniurationem sollicitati sint. Iam ipse sermo inter Umbrenum et Allobroges factus parum fidei praebet. Huc accedit, quod noster cum Cicerone non consentit de eo, qui cum Gallis coniuratorum nomina com-

municarit (confer Dübi., diss. p. 37). Itaque facere non possum quin Dübio assentiar putanti, scriptorem id ex rumore quodam sumpsisse vel audisse ab aequalibus illorum temporum. At contra ea sunt digna maxima fide, quæ ille de indicio per Q. Fabium Sangam Ciceroni facto narrat c. 41., quamvis haec nobis Cicero non tradiderit (confer Dübi., diss. p. 38). Quæ ex senatus actis sumpta esse putarim (confer Dübi.). Sed idem mihi dicendum est de c. 42., quamquam de tempore seditionum in Piceno, Bruttio, in Gallia factarum dubito; (confer Cass. Dion. 37, 42. et P. Orosii, P. Hisp. Hist. l. IV, c. 6.). Ipse S. docet verbis „eisdem fere temporibus", se ignarum esse temporis, quo hae seditiones oppressae sunt. Nunc venimus ad Dietschii coniecturam, (c. 42, ₃.) „ulteriore" pro „citeriore", quam lectionem codices praebent. Dübi quidem (diss. p. 36) negat, Dietschium nixum loco Cic. pro Mur. § 89, neglecta omnium codicum auctoritate „ulteriore" scribere posse, sed haud recte, ut mihi videtur. Scimus enim (confer Cic. in Pis. § 5.; ad famil. V, 1. V, 2.; Plut. Cic. c. 16.; Dio. Cass. 37, 33.), Ciceronem Q. Metello Celeri provinciam suam, Galliam cisalpinam, custodiendam tradidisse, ut Metello Picenum, ager Gallicus, Gallia cisalpina (sive citerior) provinciæ essent tuendæ. Itaque nobis nihil aliud reliquum est, nisi ut Dietschii coniecturam approbemus, nisi forte quis sumit, Sallustium falso „citeriore" pro „ulteriore" Gallia retulisse vel primam (codicis) manum iam hunc errorem fecisse.

c. 43. Lectionem „in agrum Faesulanum", quam Dietschius delere vult, codicum auctoritate contineri, Appianus (de bell. civ. II, c. 3.) docuit, quem e Sallustio hausisse omnes historici recentes putant (confer Wiedemannum „Appian über die Catilinarische Verschwörung", Philolog. XXI.). Sed cum Faesulae in Etruria septentrionali sitæ sint, id est, ut iam supra diximus (p. 16) iter 5 dierum Roma remotæ, non intelligo, quid tum verba scriptoris c. 43, ₂. „simul caede et incendio perculsis omnibus ad Catilinam erumperent (scil. Catilinarii)" sibi velint; nam id concedendum est, haec verba nullius momenti esse, si ad oppidum Faesulas in Etruria septentrionali sitas spectant. Quæ verba, ut id addamus, a veritate non aberrare, Cicero ipse testis est (confer in Cat. III, § 8; IV, 4.). Etiamsi, Polybii auctoritate nixi (vid. Polyb. II, c. 25—27.), sumamus, alteras Faesulas haud procul Clusio esse, tamen res est eadem; nam verba, quæ supra diximus, eo non magis perspicua fiunt. Itaque puto, haec scriptori esse vitio danda, praesertim cum lectio codicum auctoritate confirmata mutationem huius loci fieri non sinat.

Sed praeterea nobis est mirandum, scriptorem verbis „uti, cum Catilina in agrum Faesulanum cum exercitu venisset, L. Bestia, tr. plebis, — quereretur de actionibus Ciceronis etc“ usum esse, quibus tempus destinaret indicaretque, quo consilium coniuratorum perficeretur. Denique negandum non est, differentiam quandam esse inter verba (c. 43, 1.) „At Romæ Lentulus cum ceteris, qui principes coniurationis erant, constituerant, uti, cum Catilina etc“ et verba (c. 43, 3.) „inter haec parata atque decreta Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum etc“ (confer Dübi., p. 39). Quod consilium coniuratorum ex aequalibus, id est, ex traditione vulgari illum sumpsisse, hoc cum verba (c. 43, 2.) „set ea divisa hoc modo dicebantur“ tum verba (c. 43, 3.), quæ ille Cethegum apud socios facientem fingit, verisimile reddunt (confer Dübi., diss. p. 39. extr.). Quæ cum ita sint, tamen non habemus, cur dubitemus de hoc consilio coniurationis; praesertim cum Cicero ipse nonnulla confirmet, Cethego cum ceteris coniurationis ducibus controversiam fuisse (in Cat. III, 10.); coniuratos constituisse, ut erumperent caede facta ad Catilinam (in Cat. III, 8; IV, 4.). Sed cum, ut sententiam nostram corroboremus, inter Sallustium et Ciceronem de hoc consilio maiores diversitates quam convenientia sint (confer ad id locos Ciceron. in Cat. IV, 13; pro Sulla § 53; in Cat. III, 10. 17., ubi Cicero de Saturnalibus dicit; videas praeterea Dübi., diss. p. 38. 39.), fieri vix potuit, ut alter ex altero materiam suam sumeret.

c. 44—47. proditio Allobrogum, coniuratorum comprehensio, actio in senatu de iis rebus facta narrantur. Quamvis negare non possim, his capitibus multa cum Ciceronis oratione III. in Catilinam (confer § 2—6. 8. 9. 10. 12. 14. 17. 19.) consentire, tamen Dübio censenti (diss. p. 40) Sallustium Ciceronis vestigia secutum esse, non assentiar. Cum enim multa apud Sallustium inveniantur, quæ Cicero non commemoravit (confer c. 44, 1. 2.; 44, 6. verba „cum a senatu hostis iudicatus sit“; c. 45, 1. verba „his rebus ita actis — . . . . cuncta edoctus“; 45, 4.; 46, 1. 2.; 46, 4. — „ceteri sine mora veniunt, Caeparius — . . . . profugerat“; c. 47, 1., 47, 4.), nobis nihil aliud nisi hoc reliquum est: aut sumemus, Sallustium omnia haec ex uno fonte sumpsisse, quem acta senatus nominemus, aut illum ex compluribus fontibus hausisse, id quod Dübi (confer eius diss. p. 40. 42.) censet. Sed non tam discrepantia quam convenientia inter utrumque scriptorem indicare videntur, Sallustium quidem Ciceronis orationibus hic non usum esse, sed fonte quodam, qui in summis rebus a Cicerone non differt, id est, actis senatus. Ipsa autem scriptoris

negligentia, quam iam saepius notavimus, docet, quomodo fieri potuerit, ut ille errata, quamvis pauca atque exigua sint, committeret. De quibus videas Dūbianam dissert. (p. 40—42). Itaque nemo erit, qui dubitet, quin scriptor noster his capitibus a veritate non aberret, scilicet quod ad summam rerum pertinet. Postremo, antequam ad caput 48. veniamus, Dūbi refutandus est, qui scriptorem nostrum falso vituperavit, quod, quæ de haruspicum responsis Cicero tradit (confer in Cat. III, 9. 19.; IV, 2.), ille coniungeret cum Lentuli iactationibus. Equidem putarim Sallustium recte narrasse, nam intelligere non possum, qua re nixus id Dūbi recte contenderit.

Nuntium de vitæ plebei condicione scriptorem potius e memoria sua vel e traditione quam e Cicerone (in Cat. IV, 17; pro Sulla § 32), ut Dūbi sumit (diss. p. 42) hausisse, existimarim. C. 48, $_{3-9}$. de Tarquinii indicio agendum est. Hoc capite Sallustium tabulas publicas, id est, senatus acta inspexisse, mihi haec verba videntur docere (§ 6.) „Tarquinii indicium falsum videri etc". Haud scio an huc trahenda sint verba, quæ (§ 4.) Tarquinium in curia scriptor facientem fingit. Cetera in hoc capite posita ex aequalibus coniurationis sumpta esse putem, nixus §§ 7—9., ubi scriptor aequalium sermones commemorat et (§ 3.) verbis „quem (scil. Tarquinium) proficiscentem ex itinere retractum aiebant". Verba, quæ § 5. continentur, ex senatus actis hausta esse non posse neque ex Cicerone, — nisi quis forte cogitat de eius libro secreto — nobis est concedendum. Itaque non vereor, ne quis vitio det mihi sumenti, haec ex aequalium coniurationis sermonibus esse hausta.

Unde S. nuntium de Q. Catuli et C. Pisonis in C. Caesarem criminationibus (c. 49) compererit, deinde nobis est quaerendum. Cum enim sciamus, Ciceronem in commentario (περὶ ὑπατείας) de Caesaris periculo non dixisse, neque quidquam in iis Ciceronis scriptis, quæ nobis sunt servata, de ea re inveniatur, facere non possumus, quin putemus, scriptorem nostrum hic Cicerone non usum esse (confer Plut. Vit. Caes. c. 8.). Praeterea nemo erit, qui contendat, hanc relationem auctoritate senatus actorum contineri. Omnino negandum non est Sallustium nullius scriptoris auctoritatem secutum esse propter verba, quæ ad tempus incertum spectant „Set eisdem temporibus". Itaque verisimile est, aequalium sermones scriptori fontem fuisse. Sed de veritate eius nuntii dubitandum non erit ideo, quod alii scriptores idem referunt (confer Sueton. d. J. c. 14. et Plut. in Vit. Caes. c. 8.)

Cap. 50. Sallustius, cum cap. 49. digressionem fecerit, ad c. 48.

revertitur. Haud scio an haec facta sit eo consilio, ut criminationibus in Crassum, quas refutare animum non induxit, criminationes in Caesarem adderet, quas quacunque ratione acerrime redarguit. Huius rei testimonium est Sallustii dictio „set eisdem fere temporibus“ et verba c. 50_1. „dum haec in senatu aguntur et dum legatis Allobrogum et Tito Volturcio . . . . praemia decernuntur“, quæ verba docent, scriptorem ea, quæ facta sunt secundo die post coniuratos comprehensos (confer Cic. in Cat. IV, 5. 10.), haud ignorasse Idem verba sequentia „liberti et pauci ex clientibus Lentuli — opifices atque servitia ad eum eripiendum sollicitabant etc“ testificantur, nam scimus ex aliis quoque scriptoribus (vid. Cic. pro Flacco § 103. et Cass. Dion. 37, 35.), ut hoc inceptum libertorum atque clientium captivorum liberandorum causa nocte ante Nonas Dec. a. 63. patraretur, esse constitutum, sed Ciceronis industria et providentia illud ad irritum redactum. Quod ad D. Junii Silani sententiam pertinet, Suetonius (in div. Jul. c. 14.) a Sallustio in eo differt, quod dicit, Silanum sententiam suam tantum aliter esse interpretatum, Caesaris oratione commotum, non mutasse. Sed Suetonio obstat Plutarchi auctoritas (confer Vit. Cat. c. 23. *„τόν τε Σιλανὸν κακίζων* (scil. *Κάτων) τῆς μεταβολῆς,“* confer ad id Vit. Cat. c. 22. extr., Vit. Cic. c. 21., Vitam Caes. c. 8.). Mea sententia haec est, Sallustium recte referre de Silani sententia. Venimus nunc ad Tiberii Neronis sententiam. Sed de ea duæ relationes sunt, una quam Sallustius, altera quam Appianus (de bello civ. II, c. 5. extr.) his verbis nobis tradidit *„ὁ Νέρων ἐδικαίου φυλάττειν αὐτοὺς, μέχρι Κατιλίναν ἐξελῶσι πολέμῳ καὶ τὰ ἀκριβέστατα μάθωσι.“* Sententiam Neronis, quam Appianus affert, praeferendam esse Sallustio existimarim, quod verba, quæ S. Neronem in curia facientem fingit, parum accurate dicta sunt. Praeterea id, quod sequitur, Neronis sententiam ab Appiano enarratam verisimiliorem reddit quam Sallustianam. Plutarchus enim (in Vit. Caes, c. 7. extr.) Caesaris sententiam a Cicerone (in Cat. IV, § 7. 8.) et a Sallustio (c. 51, $_{43}$.) dissidentem, id est, falso refert. Quaerendum erit autem nobis, unde eveniat, ut Plutarchus a Cicerone et a Sallustio in ea re differat. Verisimile enim non est, fontem Plutarchi (Livium?) iam in eo errasse, neque quidquam nobis aliud relinquitur nisi ut ipsi Plutarcho hunc errorem tribuamus. Cum Plutarchus quidem narret, Caesarem sententiam tulisse, quæ iudicium de coniuratis differret, sed sciamus (ex Sallustio et Appiano), Neronis sententiam eam fuisse, quæ iudicium de coniuratis in posterum tempus, cum Catilina esset devictus, differi vellet, haec opinio non

est repudianda, Plutarchum falso ex fonte suo Neronis sententiam pro Caesaris sententia excerpsisse. Ac ne Appianus quidem Neronis sententiam sinceram atque incolumem nobis videtur tradidisse. Appianus enim refert Caesarem sententiam tulisse, ut, cum Catilina esset oppressus, denuo iudicium senatus de captivorum sorte fieret, et Caesaris sententiam ita cum Neronis sententia commiscet, ut uterque vir paene idem videatur dixisse; id quod a veritate abhorret. Cum autem constet, Appianum haec non finxisse, nobis putandum est, Neronis sententiam non vere atque accurate esse narratam et Appianum falso ad Caesarem referre, quæ ad Neronem sunt referenda. Itaque censeo, eam sententiam, quam a Caesare esse dictam Plutarchus narrat, ideo, quod a Neronis sententia non valde dissentit et quod sententiam, quam Plutarchus Caesaris fuisse refert, Caesar omnino dicere non potuit secundum Ciceronem Sallustiumque, re vera Neronem dixisse.

Nobis reliquum est, ut accuratius de oratione Caesaris et Catonis loquamur. Primum autem de C. Caesaris oratione in senatu habita est dicendum. Dübio (cuius dissert. p. 45. videas) concedere debemus, Sallustium e Ciceronis oratione IV. in Catil. hausisse. Sed mihi plane dubium est, num Cicero unus fons Sallustii fuerit. Cuius rei testimonia sunt haec: Cicero legum Porciarum in orat. IV. in Cat. non meminit neque commemorat, quot mala e „novo consilio" D. Junii Silani (confer Sall. c. 51, $_{26-37}$.) in rem publicam redundare possint. Sallustium ea, quæ de lege Sempronia, cuius nomen nusquam affert, dixit, non e Cicerone sumpsisse ex eo concludam, quod Cicero (in Cat. IV, 10.) Caesaris appellationem ad legem Semproniam narrando corrupit Caesarique, ut Dübi (p. 45. diss.) recte vidit, falsum argumentum atque Caesare indignum supposuit.

Haud scio an non ficta sint haec verba et ea verba, quæ ad Sullanas proscriptiones spectant (§ 32—36 huius orationis), praesertim cum non discrepent a totius orationis argumento neque quidquam contineant, quod ab illo statu atque rei publicæ condicione alienum sit. Putarim igitur scriptorem veras quidem quasdam relationes illius temporis aequalium ad Caesaris orationem enarrandam adhibuisse, sed omnino liberius et ad voluntatem suam totam materiam collectam coniunxisse, ita, ut modo rem mutaret ac diminueret [confer § 14. 15., ubi impetus populares in auctores sententiæ severioris minus depingit quam Cicero (in Cat. IV, § 9. et Plutarchus in Vit. Cat. c. 22.)], modo adornaret atque amplificaret (confer § 5. 6. 9. 10. 37—42.). Quae cum ita sint, tamen contenderim, scriptorem in

summa re a Caesaris oratione vere in senatu dicta non valde abhorruisse.

De Caesaris sententia (§ 43.) iis, quæ Dübi (diss. p. 46) dixit, assentiar.

c. 52. Venimus ad Catonis orationem. Mirandum est, quod S. orationem, quam Cicero habuit post Caesaris orationem, silentio praetermittit. Equidem putarim scriptorem Ciceronis orationem ideo neglexisse, quod in animo habuit, ut Caesarem et Catonem ita eorum orationes inter se comparare (vid. c. 53, $_6$. et c. 54.). Huc accedit, quod Ciceronis amicus non fuit et quod videtur scivisse, Ciceronis orationem optimatibus plus timoris quam fiduciæ atque animi iniecisse.

Recte Dübi (diss. p. 46) docuit, Sallustium Catonis orationem ante oculos habuisse non videri, sed Ciceronis orationem IV. in Catilinam. Quod cum concedam, tamen dubito, num scriptor ex uno fonte hanc orationem, quam Cato habet, fingere potuerit. Nonnulli autem loci sunt, quorum fides aliis fontibus confirmetur. In eo enim, quod Cato mansuetudinem et misericordiam § 11. 12. vituperat, cum Plutarcho (in Vita Cat. c. 23.) et Velleio Paterculo (II, 35.) consentit, quamvis Sallustius non dicat (secundum rationem politicam), haec Catonis verba Caesarem petere. Idem (§ 16.) commemorat quidem, Catonem verba fecisse, quæ Caesarem in coniurationis suspicionem vocarent, sed eorum vim attenuat et frangit (confer Plut. in Vit. Cat. c. 23. et in Vit. Cic. c. 21.). Non est autem cum Dübio (diss. p. 46. vid.) negandum, Sallustium nonnulla in hac oratione ad suum arbitrium depinxisse (confer § 19—24., § 7—9.). Verba autem § 29 „non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur“ non esse dicta, Dübio (p. 46. diss.) concesserim, sed non negarim, his verbis, quæ ad Catonis mores severos accommodata videntur esse, Ciceronem peti. De hac oratione idem ac de Caesaris oratione dicam, eam partim ex Ciceronis oratione IV. in Catilinam, partim ex sermonibus sive rumoribus aequalium esse compositam, sed ita, ut contineat „veritatem et poesin“. At si quis contendat, Sallustium Catonis oratione ipsa usum esse, de eo ideo dubitandum est, quod tum fieri non potuit, ut Sallustius nonnulla mutaret, alia adderet, alia fingeret. De Catonis sententia videas Düb. (diss. p. 47.). Postquam de orationibus egimus, pauca de ceteris capitibus sunt dicenda.

c. 53, $_1$. Quin Sallustius de orationis Catonianae eventu recte referat, non habemus, cur dubitemus (confer Cic. in M. Antonium

Phil. II, § 12; Cic. ad Att. XII, 21.). Quod ex aequalibus coniurationis illum audisse, verisimile est.

c. 53, $_{2-4}$. et c. 54. ille e sua memoria videtur composuisse. De iis, quæ his capitibus continentur, iam supra (confer p. 5.) diximus.

Nuntii, quos c. 55. praebet, confirmantur fontibus posterioribus. Supplicium enim de quinque captivis confestim post iudicium senatus esse sumptum, Cassius Dio (37, 36.) et Cicero (pro Sulla § 33.) et Plutarchus (in Vita Cic. c. 22. init.) affirmant. Eandem causam supplicii celeris, quam Sallustius, Plutarchus (in Vit. Cic. c. 22.) et Appianus (de bell. civ. II, 6.) afferunt. Praesidia, quæ consul Cicero in locis Romæ nonnullis collocaverat, commemorant et ipse Cicero (de prov. cons. § 12. et Philipp. II, § 16) et Appianus (de bell. civ. II, 5. extr.). De Lentuli familia eiusque consulatu videas Plut. (in Vit. Cic. c. 17.) et Cass. Dion. (37, 30.). De loco, ubi supplicium de coniuratis sumptum est, nemo alius scriptor refert. Quem fontem S. hic secutus sit, dici non potest. Sed de huius fontis fide dubitandum non est.

Quæ in sequentibus capitibus S. narrat, a nullo quidem scriptore, quem e Sallustio non hausisse constat, confirmantur, sed tamen non est, cur de Sallustii fide dubitemus praeter id, quod c. 59, $_4$. de C. Antonio dictum est. S. enim non commemorat, qua de causa Antonius imperium atque exercitum die pugnæ M. Petreio legato tradiderit eumque consuli Ciceroni et Romanis in suspicionem venisse (confer Cic. pro Sestio § 12. et Cass. Dion. 37, 39.). Orationem autem, quam S. Catilinam apud milites suos facientem fingit, non ita esse habitam, nemo erit, qui non concedat.

Quod ad fidem auctoritatemque Sallustii pertinet, hoc, ut omnia, quæ de ea re diximus, complectamur, est tenendum: Sallustius, ubicunque a Cicerone dissentit, Ciceroni est postponendus in omnibus, paucis exceptis [confer id, quod Cicero in Cat. IV, § 10. arte quadam sophistarum de Caesare legem Semproniam appellante dixit et Ciceronis verba (in Cat. I, § 11. 15.) de insidiis sibi consuli designato a Catilina paratis, quas Sallustius silentio praetermittit]. In iis autem, quæ Sallustius uberius quam Cicero refert, eum sequi non possumus, nisi certo scimus, illum ex senatus actis hausisse vel illi non fuisse, cur aliquid silentio praetermitteret vel illum omnino ex fontibus certis materiam suam sumpsisse. Neque enim negandum est, Sallustium, ut supra demonstrasse mihi videor, chronologiam valde neglexisse et interdum in ipsis rebus enarrandis

negligentiam et levitatem ostendisse. Sed fides Sallustio est habenda in iis, quæ de Catilinarii exercitus sorte (confer c. 56—61.) dixit, et in iis, quæ non solum a Cicerone, sed a scriptoribus temporis posterioris confirmantur. Quod ad ipsos fontes, quos Sallustium secutum esse pro certo habemus, pertinet, nobis concedendum est, illum maximam partem narrationis suæ e sermonibus aequalium illius temporis et e memoria sua hausisse, sed scriptos quoque fontes, id est, tabulas publicas et Ciceronis orationes Catilinarias excerpsisse.

Postremum mihi liceat repetere, quæ satis docuisse mihi videor (p. 2—5), Sallustium hunc librum de coniuratione Catilinaria scripsisse, quo Caesarem a coniurationis suspicione defenderet eumque hoc crimine purgaret.

B. Livii Periochæ.

Ea, quæ nobis prodita sunt ex T. Livii libris sub nomine „Periochæ“ non multum novi ad historiam coniurationis Catilinariæ enarrandam afferunt.

Quod ad fontes, quos Livium secutum esse verisimile est, attinet, Dübi (confer eius commentationem, quæ inscribitur „über die jüngeren Quellen der Catilinar. Verschwörung, in d. Jahrb. für Philologie 113. Bd. 1876. p. 853.), ex eo, quod Livii epitomator l. 101. Sullam et Autronium coniurationis prioris auctores nominat, concludere videtur, Suetonium, qui (in divo Julio c. 9.) commemorat, Sullam in huius coniurationis sociis fuisse, eisdem fontibus, quibus Livium, esse usum. Sed quominus hoc putemus, impedit nos maxime id, quod Caesar et Crassus apud Suetonium coniurationis principes dicuntur, cum apud Livii epitomatorem nihil de ea re inveniatur.

L. 102. Quod Johnius dicit (p. 756), epitomatorem his verbis „L. Catilina bis repulsam in petitione consulatus passus cum Lentulo praetore et Cethego compluribusque aliis coniuravit de caede consulum et senatus“ coniurationis initium ante comitia consularia anni 63. non statuisse, hoc est repudiandum. Cui tantum id oppono, quod ex hac tam abrupta narratione concludere, coniurationem ante comitia consularia anni 63. nondum fuisse, non licet. Neque pluris aestimanda est haec Johnii sententia (vid. p. 756.), locum Cassii Dionis (37, 30.), ubi dicit *„καὶ οὕτως ὕπατοί τε ἕτεροι ᾑρέθησαν καὶ ἐκεῖνος* (scil. *Κατιλίνας) οὐκέτι λάθρα οὐδὲ ἐπὶ τὸν Κικέρωνα τούς τε σὺν αὐτῷ μόνους, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πᾶν τὸ κοινὸν τὴν ἐπιβουλὴν συνίστη,“* quem locum illum ex Livio hausisse verisimile sit, multum

valere ad opinionem suam confirmandam. Iohnium in ea re errare, ex hoc, quod sequitur, intelligi potest. Nam capite 29. eiusdem libri (scil. 37.) idem Dio narrat, Catilinam, cum vidisset, legem Tulliam de ambitu in se ipsum esse constitutam, manum armatorum collegisse, ut Ciceronem comitiis consularibus necaret; Ciceronem autem, haud ignarum huius periculi, ante comitia quidem consularia anni 63. insidias a Catilina sibi paratas communicasse, sed ei fidem non esse habitam. Sed cum rumores de coniuratione per populum percrebescerent et populus coniuratis valde esset iratus, factum esse, ut coniurationis socii caedem comitiis ipsis consularibus facere non auderent. Nonne satis Dio Cassius probat, coniurationem iam ante comitia consularia fuisse? Ipsa verba epitomatoris „ea coniuratio industria M. Tullii Ciceronis eruta est (l. 102.) et „Catilina urbe pulso“ Sallustium epitomatoris fontem non fuisse testes sunt. Nec minus verba in l. 103. „Catilina a C. Antonio proconsule cum exercitu caesus est“ a Sallustio abhorrent, apud quem nihil eiusmodi inveniatur. Sed quam incerta sit epitomatoris relatio, ex uno exemplo satis elucet, quod est in l. 103., ubi ille his verbis utitur „M. Pupius et M. Valerius. His consulibus Catilina in agro Pistoriensi a C. Antonio bello peremptus est“, cum constet, Murena et Silano consulibus Catilinam cecidisse. Itaque moneam, ne nimiam Livii excerptis fidem habeas; praesertim cum illa non solum exigua atque exilia sint, verum etiam non accurate ac diligenter, ut supra vidimus, facta esse videantur.

C. Diodorus Siculus.

Duo fragmenta Diodori nobis servata sunt de coniuratione Catilinaria, quorum unum apud J. Bekkerum (tom. III, l. 40, 5. p. 196), alterum apud Muellerum (Histor. graec. fragm. II, p. XXVI, fr. 35.) invenitur.

Primum igitur dicamus de fragmento, quod J. Bekkerus edidit. Hoc de rebus, quæ factæ sunt ante diem VII. Id. Nov. anni 63., quo die Cicero primam orationem in Catilinam habuit, agit. Diodorus enim narrat, Catilinam, cum Cicero in eum invectus esset, dixisse, sese ultro in exsilium non iturum esse. Tum Ciceronem senatores rogasse, num placeret, Catilinam in exsilium ire. Qui cum tacerent, Ciceronem iterum, sed alio modo rogasse, num senatui placeret, Catilinam in exsilium non ire. Senatum autem declarasse, sibi non placere, et iratum alteri rogationi fuisse. Quo facto Cice-

ronem dixisse, senatum his verbis iussum consulis, Catilina urbem relinqueret seque in exsilium conferret, approbasse. Catilinam autem e curia abiisse dicentem, se sibimet ipsi esse consulturum.

Quam Diodori narrationem in summa a veritate non abhorrere, ipse Cicero testis est, qui in orat. I. in Cat. § 20. 21. narrat idem, praeter unum, quod non commemorat, a Cicerone senatores bis sententiam esse rogatos. Neque tamen habemus, cur de ea re dubitemus, praesertim cum verba Ciceronis § 21 „At si hoc idem huic adolescenti optimo, P. Sestio, si fortissimo viro, M. Marcello dixissem, iam mihi consuli, hoc ipso in templo, iure optimo senatus vim et manus intulisset, de te autem, Catilina, quum quiescunt, probant etc“ a verbis Diodori *„ἔφησεν, ὅταν τινὰ μὴ νομίσωσιν εἶναι ἐπιτήδειον φυγῆς, μεθ᾽ ὅσης κραυγῆς ἀντιλέγουσιν· ὥστε εἶναι φανερόν, ὅτι διὰ τῆς φωνῆς ὁμολογοῦσι φυγήν“* non valde differant. Id tantum dubium sit de Diodori narratione, num senatores alteri Ciceronis rogationi irati fuerint. Sed cum cognoverimus, Diodorum in reliqua parte narrationis a vero aberrasse non videri, haud scio an recte sumi possit hic quoque scriptorem verum dixisse. Quod si quis contendat, Diodori verba *„μιᾷ δὲ φωνῇ πάντων ἀναβοησάντων, μὴ δοκεῖν“* a Ciceronis verbis (§ 20. „ecquid animadvertis horum silentium? Patiuntur, tacent“, confer § 21.) prorsus dissidere, is erret, nam Cicero de tacendo, quod verba Ciceronis (apud Diodorum) *„ὥστε εἶναι φανερόν, ὅτι διὰ τῆς φωνῆς ὁμολογοῦσι φυγήν“* secutum esse concludere possumus, dixisse videtur. Quamvis affirmare non possimus, ex hoc vel illo scriptore Diodorum hausisse, tamen coniciamus, Ciceronis librum *„περὶ ὑπατείας“* fontem fuisse, quod, ut supra vidimus, Diodorus a Cicerone in hac relatione non valde differt.

Verba autem, quæ ante hanc narrationem a Bekkero sunt posita *„ὅτι Λεύκιος Σέργιος ὁ ἐπικαλούμενος Κατιλίνας κατάχρεως γεγονὼς ἀπόστασιν ἐμελέτησεν“* supra silentio praeterii; neque enim negandum est, haec verba cum sequentibus *„ὁ δὲ Μάρκος ὁ Κικέρων ὁ ὕπατος λόγον διετίθετο περὶ τῆς προσδοκωμένης ταραχῆς καὶ κληθέντος Κατιλίνα* etc“ haud bene coniungi posse. Huc accedit, quod alterum fragmentum Diodori nobis traditum eadem fere verba continet *„ὅτι (κατὰ τὴν Ῥώμην) Κατιλίνας τις κατάχρεως (καὶ Λέντλος ὁ ἐπικαλούμενος Σούρας ἀθροίσαντες ὄχλον) ἀπόστασιν ἐμελέτησαν“* Quæ verba scriptor de suo narrationi addiderit, id quod repetitio prope eorundem verborum docere videtur.

Cum igitur facere non possimus, quin illi fragmento a Bekkero edito fidem tribuamus, alterum fragmentum, quod apud Muellerum

invenitur, parvi existimandum est; nam tota narratio Diodori in eo posita plena est errorum. Primum id vituperandum est, quod scriptor refert, Catilinam cum Lentulo senatoribus caedem facere voluisse Saturnalibus, cum certo sciamus, Lentulum ceterosque coniuratos in urbe relictos Catilina inscio hoc consilium iniisse (confer Cic. in Cat. III, 17; Sall. c. 43., Plut. in Vit Cic. c. 18.). Deinde haud scio an non verum sit, Fulviam cum Ciceronis muliere, Terentia, rem communicasse itaque coniurationis consilium esse apertum, praesertim cum ex Sallustio (confer c. 41. et 44.) audiamus, iam tum per Ciceronem Allobroges ad id esse adductos, ut sibi coniuratorum consilia proderent. Tertium Diodorus nomina proditoris eiusque amicæ, quæ Sallustius nominavit (c. 23.), non affert. Praeterea D. delicias atque amores utriusque copiosius delicatiusque enarrat quam Sallustius. Postremum Dūbio assentiendum est neganti (Jahrb. d. class. Phil. 113. Bd. p. 878), coniurationem extremis demum anni 63. diebus per Ciceronis uxorem apertam esse. Differentiæ (ut fontem, quem Diodorum excerpsisse verisimile est, quaeramus) inter Sallustium et Diodorum cum de tempore huius narrationis tum de ipsa re tot et tantæ sunt, ut sumi non possit, alterum ex altero hausisse. Dūbi quidem (p. 878) putat, Attici commentarios fontem Diodori fuisse, sed habeo, cur de hac opinione dubitem. Cum enim nesciamus, num Atticus tam vagos rumores commentariis suis intexuerit, neque intelligamus, quem auctorem Diodorus ea in re secutus sit, nihil aliud dicere possumus nisi „non liquet". De fide autem huius relationis mea sententia haec est, historicum propter multos errores Diodori nihil ex hoc fragmento ad historiam coniurationis enarrandam sumere debere.

D. Velleius Paterculus.

Velleius de coniuratione Catilinaria paucis in libro II. c. 34, 3. et c. 35. historiarum Romanarum scripsit.

In cap. 34. libri II., quod ex Sallustio excerptum esse Dūbi (p. 853/54. in Adnot. ad Vell. Paterc.) putare videtur, Velleium Sallustii auctoritatem non esse secutum ex eo intelligitur, quod ille narrat, Catilinam imperium consulis timentem urbem reliquisse, cum Sallustius nihil de ea re nobis tradiderit, et quod Ciceronis meritum de coniuratione oppressa valde amplificat et laudibus summis afficit, dissidens in ea re a Sallustio. Pauca autem sunt, unde appareat, quo auctore Velleius usus sit. Quamquam Velleius in

singulis rebus haud accurate refert — neque enim nominat, qui a Catone in coniurationis suspicionem sint vocati et universum senatum in Catonis sententiam transiisse (confer Sallust. c. 53, $_1$.) dicit, — tamen concedendum est, in summis rebus illum verum dixisse neque consulto veritatem obscurasse. Praeterea negandum non est, Velleium in nonnullis cum Plutarcho consentire: confer Plutarchi locum, ubi dicit, senatum Ciceronem domum esse prosecutum (confer Vit. Cic. c. 22.), cum Velleii verbis „ut maiorque pars ordinis eius (scil. senatus) Ciceronem prosequerentur domum.“ Deinde confer Plutarchi verba (in Vit. Cic. 21.) *εἶτα δεξάμενος Κάτων . . . ἐνέπλησε θυμοῦ καὶ φρονήματος τὴν σύγκλητον* et in Vit. Cat. c. 23. init.) cum Velleii verbis „tanta vi animi atque ingeni invectus est in coniurationem, eo ardore oris orationem omnium lenitatem suadentium societate consili suspectam fecit, sic impendentia ex ruinis etc.“ Qui cum non de verbis inter se consentiant, sed de rebus, ea sententia haud procul abest, utrumque scriptorem eodem fonte esse usum. Cum autem verisimile sit, Plutarchum his locis, quos supra diximus, Livio, ut postea demonstrabimus, esse usum, et cum Velleius cum Plutarcho in nonnullis congruat, ex eo sequi videtur, ut Livius auctor cum Plutarchi tum Velleii fuerit. Quæ opinio eo verisimilior fit, quod Velleius ex Sallustio non hausit neque, ut videtur, ex Cicerone, quod Cicero nusquam de Catonis sententia uberius dixit et quod vix fieri potuit, ut Catonis sententia ita, ut a Velleio factum est, a Cicerone laudibus ad coelum efferretur. Itaque, cum neque Cicero neque Sallustius Velleii fons videatur fuisse, Velleius autem semper fontem magnum atque continuum excerpere soleat (confer Dübium ad Vellei. Pat.), nobis nihil aliud reliquum est nisi ut sumamus, Velleio maximam rerum Romanarum historiam, T. Livii, ante oculos esse versatam.

E. Plutarchus.

De fontibus Plutarchi historicorum recentiorum sententiæ valde inter se differunt. Cum enim Dübi (p. 864 in Adnot. ad Plut.) putet, Plutarchum materiæ suæ maximam partem e fonte continuo (e Livio), reliqua e Ciceronis commentariis de consulatu eiusque orationibus et ex Sallustio sumpsisse, Schliephackius (p. 31. 32. 29. 30.) dicit, a Plutarcho Livium esse excerptum, Sallustium auctorem Plutarchi non fuisse, sed fortasse Thraseam Paetum (p. 28.), negligens ceteros fontes, quos Dübi auctores Plutarchi fuisse sumit;

G. Thouretius contendit (in scripto, quod inscribitur „de Cicerone, Asinio Pollione, C. Oppio Rerum Caesarianarum scriptoribus“ in Studiis Lipsiensibus I, p. 313 ff. 1878.), a Plutarcho et Cassio Dione Livium non esse excerptum, sed Ciceronem utriusque scriptoris unicum fontem fuisse.

Quod attinet ad Dūbium censentem, Plutarchum ex Sallustio aliquid sumpsisse in primis capitibus, quæ in Ciceronis Vita de coniuratione Catilinaria agunt (confer ad c. 10—12. Dūbii sententiam p. 854. et 855.), id probare nolim, sed potius Schliephackium sequar (confer p. 22. 23. scripti, quod p. 11. diximus) putantem, Sallustio Plutarchum non usum esse, sed alio fonte, qui praeter alios auctores ipsum Sallustium excerperet. Hae enim causæ nos prohibent, quominus sumamus, e Sallustio Plutarchum hausisse. Primum Plutarchi sententia de constitutione Sullana prorsus abhorret a Sallustio (confer Plut. in Vit. Cic. c. 10. et c. 12. init. cum Sall. c. 11, $_{4-7}$. c. 38. et 39.), id est, apud Plutarchum sententia optimatium, apud Sallustium popularium in coniurationis historia enarranda elucet. Deinde secundum Plutarchum (confer Vit. Cic. c. 10.) origo coniurationis est socialis, at contra Sallustius putat, originem magis in Catilinæ ingenio pravo moribusque malis, quam in rei publicæ moribus corruptis et institutis esse positam (vid. Sall. c. 5, $_{4-8}$.; c. 15, $_{3}$. $_{4}$.). Praeterea verba c. 11 „*ἀνδρὶ* (scil. Antonio) *καθ᾽ αὑτὸν μὲν οὔτε πρὸς τὸ βέλτιον οὔτε πρὸς τὸ χεῖρον ἡγεμονικῷ, προςθήκῃ δ᾽ ἄγοντος ἑτέρου δυνάμεως ἐσομένῳ*“ ad Sallustium ut auctorem non spectant. De reliquis causis, quæ Sallustii auctoritati obstant, videas Schliephackium (p. 22. et 23.). Quod igitur partim a Sallustio in c. 10. et 11. Plutarchus differt, partim non dissentit (confer Schlieph. p. 22. et 23.), ex eo sequitur, ut Plutarchus ex alio fonte hauserit, qui ipse iam Sallustii auctoritatem ad historiam coniurationis enarrandam adhibuit. Sed contenderim, Ciceronem non magis quam Sallustium Plutarchi auctorem fuisse. Neque enim est negandum, Plutarchum in c. 10. ex Cicerone sumere non potuisse ideo quod Cicero, ut tantum duas causas afferam, narrat, coniurationem anno 64. nondum esse factam et coniurationis partem politicam praestare sociali. Capite 11. autem Ciceronem auctorem non fuisse, verba „*ταῦτα δὴ τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν οἱ πλεῖστοι προαισθόμενοι τὸν Κικέρωνα προῆγον ἐπὶ τὴν ὑπατείαν*“ docent; nam vix fieri potuit, ut ipse Cicero diceret, sibi rumorem de Catilinæ coniuratione cum Antonio utilem atque aptum fuisse ad consulatum adipiscendum. Cum igitur neque Cicero nec Sallustius a Plutarcho sint excerpti et cum Plutarchus,

ut vidimus, fonte, qui a Cicerone non valde differt neque a Sallustio, usus sit, ea sententia respui non potest. Livium hunc fontem fuisse, praesertim cum ei fonti, e quo Plutarchus in c. 10. et 11. hausit, propensum in optimates studium abiudicandum non sit.

Cap. 12. in Vit. Cic. (confer c. 14. init.) scriptor refert, coniuratos tum, cum populares cum optimatibus acerrime certarent, agere non ausos esse. Recte miramur, quod Plutarchus non commemoravit, cur coniurati siluerint neque se commoverint. Ipsum autem scriptorem, quem Plutarchus sequitur, haud recte cognovisse, quo tempore coniuratio fieret, eius rei testimonia sunt haec. Primum scriptor popularium impetus in optimates c. 12 init. *προάγωνας* appellat, id est, scriptor, qui de tempore originis coniurationis in Sallustii auctoritate haeret, nesciens, ut iam supra diximus, quo tempore coniuratio primum omnino apparuerit, nihil melius sese facere posse putavit quam ut hoc modo rem tractaret. Huc accedit, quod Plutarchus narrat (c. 14. in Vita Cic.), a veteranis Sullanis Catilinam esse irritatum, ut rem publicam perverteret, eosque se tum cum Catilina coniunxisse, cum consulatum peteret, et ob eam causam se Romam contulisse, quo eius petitioni consulerent. An quisquam dubitet, quin loci Plutarchi, c. 10., ubi de coniurationis sociis iam coniunctis et de motu in Etruria atque in Gallia cisalpina, et c. 14., ubi de veteranis Catilinam sollicitantibus dictum est, inter se repugnare videantur? Quæ eiusdem scriptoris [Plutarchi] differentiæ inde sunt deducendæ, quod ille ex fonte hausit, qui iam Sallustii auctoritate deceptus in dubium videtur vocasse, num Cicero recte dixerit, coniurationem ante annum 63. nondum esse factam. Nam Plutarchum ex Sallustio ipso non hausisse, ex eo intelligitur, quod supra diximus. Idem Sallustius prorsus dissidens a Plutarcho non refert [confer c. 16, 4.; 24, 2.], quo tempore Catilina Sullanos sibi coniunxerit. Qua ex re elucet, Plutarchum ipso Sallustio usum non esse, id quod confirmatur eo, quod in capitibus posterioribus Plutarchi narratio a Sallustio plane differt.

Quominus autem Ciceronem auctorem Plutarchi in cap. 12. fuisse sumamus, id nos prohibet, quod vix credendum est, Ciceronem his verbis de C. Antonio collega usum esse „*καὶ κατειργάσατο τῇ χάριτι ταύτῃ τὸν Ἀντώνιον ὥσπερ ὑποκριτὴν ἔμμισθον αὐτῷ τὰ δεύτερα λέγειν ὑπὲρ τῆς πατρίδος*“ et quod, [conf. John. p. 748 ff. 755.], secundum Ciceronem ante annum 63. coniuratio nondum exstitit.

Scriptor in c. 12. falso rogationem de proscriptorum filiis ante leges agrarias ponit [confer in Pison. c. 2. § 4.]; sed hic error non

foutis Plutarchi [Livii] est, sed Plutarchi ipsius. In c. 13. Pl. refert, quanta vis et suavitas dicendi in Cicerone fuerit et exemplum eius rei affert, sed ita, ut Cicero ipse non auctor videatur fuisse. Quamvis apud Plutarchum [in Vit. Cic. c. 14.] idem ordo rerum ac temporum inveniatur, qui apud Ciceronem [confer pro Mur. § 49—52.], tamen facere non possum, quin existimem, hic neque e Ciceronis oratione pro Murena neque ex commentariis haustum esse [confer Schlieph. p. 24. Adnot.]. Cum enim Cicero pro Mur. § 50. narret, sese senatum convocasse, quod audiverit, Catilinam contra rem publicam agere et in concione domestica orationem seditiosam habuisse, ideoque comitia consularia in posterum diem esse dilata, Plutarchus non dicit, qua de causa comitia sint dilata. Deinde negarim, Plutarchi verba [c. 14.] *„ὁ δὲ πολλοὺς οἰόμενος εἶναι τοὺς πραγμάτων καινῶν ἐφιεμένους ἐν τῇ βουλῇ, καὶ ἅμα τοῖς συνωμόταις ἐνδεικνύμενος, (ἀπεκρίνατο τῷ Κικέρωνι μανικὴν ἀπόκρισιν)* Ciceronis esse. Tum verba, quæ Catilina apud Plutarchum, Ciceronis interpellatione commotus facit, aliquid a Cicerone [pro Mur. § 51] differunt. Postremo verba Plutarchi [c. 14.] *„μᾶλλον ὁ Κικέρων ἔδεισε“* non ad Ciceronis auctoritatem videntur spectare. Praeterea verba de prodigiis ac miraculis et fulminum ictibus ac terræ motibus apud Ciceronem alio loco [in Cat. III, 18. 19. et de divin. I, c. 11. et 12.] commemorantur neque verba *„Αἱ δ᾽ἀπ᾽ ἀνθρώπων μηνύσεις ἀληθεῖς μὲν ἦσαν, οὔπω δ᾽εἰς ἔλεγχον ἀποχρῶσαι κατ᾽ ἀνδρὸς ἐνδόξου καὶ δυναμένου μέγα τοῦ Κατιλίνα.“* apud Ciceronem inveniuntur, quamvis Ciceronis [pro Mur. § 51] argumentum fere idem sit. Recte igitur Dübi non ad Ciceronem neque ad Sallustium, sed tertium fontem, quem Livium nominamus, recurrit, dicens verba [vid. eius adnot. ad Plut. c. 14. in Vit. Cic.] ad Pompeium pertinentia [in c. 14. init.] *„καὶ παρεκάλουν εὐτολμότερον ἅπτεσθαι τῶν πραγμάτων, πρὶν ἐπανελθεῖν Πομπήϊον ἤδη λεγόμενον ὑποστρέφειν μ. τ. δ.“* ad alium auctorem [Livium] esse referenda. Etiamsi Plutarchus in Vit. Crassi c. 13. referat, Ciceronem in commentariis de consulatu suo de litteris dixisse, quas Crassus noctu ad Ciceronem portasset, tamen concedere non possum, Plutarchum in Vit. Cic. c. 15., ubi de iisdem litteris loqui videtur, Ciceronis commentarios ante oculos habuisse. Haec sunt, quæ me impediant, quominus hoc sumam. Primum Pl. semper eundem fontem [scil. Livium] in superioribus secutus est, ut mihi videor demonstrasse; deinde dubitem, num Cicero in commentariis ita de Crasso dixerit, ut Plutarchus: *„ἀλλ᾽ ἧκεν εὐθὺς πρὸς τὸν Κικέρωνα πληγεὶς ὑπὸ τοῦ δεινοῦ καί τι τῆς αἰτίας ἀπολυόμενος, ἣν ἔσχε διὰ φι-*

λίαν τοῦ Κατιλίνα." Tum Plutarchus in Vit. Crassi c. 13. de unis litteris, nostro autem loco, in Vit. Cic. c. 15., de pluribus litteris loquitur. Praeterea putarim, futurum fuisse, ut, si Plutarchus e Ciceronis commentariis ipsis hausisset, ab eo commentarii Ciceronis, ut in Vit. Crassi c. 13. et in Vit. Caes. c. 8., citarentur. Huc accedit, quod non verisimile est, in sequentibus Plutarchum ex Ciceronis scriptis ipsis hausisse, ut postea videbimus. Itaque nobis nihil aliud relinquitur, nisi ut ponamus, fontem magnum et continuum (Livium) Plutarcho hic quoque ante oculos esse versatum. Sed dubium mihi non sit, quin Livius e Ciceronis commentariis ipsis hanc relationem hauserit. Cum non habeamus, cur de Plutarchi fide dubitemus, quoniam omnia paucis exceptis recte refert, ex eo sequitur, ut comitia consularia non multo ante d. XII. Kal. Nov. habita sint; nam c. 15. init. Plutarchus dicit „οὐ πολλῷ ὕστερον τούτων" (id est, post comitia consularia), Crassum nocte litteras ad Ciceronem tulisse et sequenti die S. C. U. esse factum, quod ante diem XII. Kal. Nov. factum esse constat (confer in Cat. I, § 4. 7. et Asconii Adnot. ad orat. Cicer. in Pisonem ed. Kiessl. et Schœll p. 5.). In c. 16. pauca cum Cicerone consentiunt; confer de Q. Metello ad famil. V, 2, 1. et in Cat. II, 26; de senatu in templum Jovis Statoris convocato in Cat. I, 33., II, 12., de subselliis vacuefactis in Cat. I, 16.; II, 12. De Plutarchi verbis „(ἀναστὰς ὁ Κικέρων προσέταξεν αὐτῷ τῆς πόλεως ἀπαλλάττεσθαι·) δεῖν γὰρ αὐτοῦ μὲν λόγοις, ἐκείνου δ' ὅπλοις πολιτευομένου μέσον εἶναι τὸ τεῖχος" videas in Cat. I, 10. 32; in Cat. II, § 1. Neque tamen dico, Ciceronem praeter alios fontes Plutarchi fontem in iis fuisse, in quibus inter se consentiunt. Reliqua autem in hoc capite a Cicerone differunt. Cum enim Plutarchus, abhorrens ab aliis scriptoribus, Marcium et Cethegum duos sicarios nominet, nobis est quaerendum, unde hanc relationem Plutarchus sumpserit. Qui error Plutarcho non est tribuendus, ut videtur, ideo, quod scriptor bis eundem (scil. Cethegum) commemorat. Scriptoris verba „ἀρξάμενος δὲ λέγειν ἐθορυβεῖτο, καὶ τέλος ἀναστὰς ὁ Κικέρων προσέταξεν αὐτῷ τῆς πόλεως ἀπαλλάττεσθαι" a veritate non videntur aberrare; nam Sallustius narrat, senatores Catilinæ se defendenti obstrepuisse (confer Sall. c. 31, 8.) et Cicero (in Cat. I, 10. 11. 13. 20. 23; in Cat. II, 1.), se Catilinam ex urbe egredi iussisse. Sed Plutarchum et Diodorum (in fragm. I.) inter se non repugnare, ex hoc cognoscitur. Plutarchus enim refert, quid in senatu factum sit, antequam consul Catilinam urbem relinquere iuberet, cum Diodorus nobiscum communicet, quid hoc consulis

iussu dato Catilina egerit. Dubitarim autem, num hoc verum sit, Catilinam circiter 20 milia hominum circum se habuisse, priusquam Antonius contra Catilinam mitteretur; nam primum vix fieri potuit, ut Catilina paucis diebus post Romam relictam iam tantum exercitum colligeret; deinde autem Sallustio nixi contendimus (confer Sall. c. 56.), Catilinæ copias omnino non fuisse tam magnas. Magnam copiarum multitudinem Catilinæ a Livio, qui magnos numeros habere solet, commemoratam et a Plutarcho esse repetitam, existimem. Qui error Plutarchi nos commovet, ut recte de altero numero, quem in hoc capite commemoravit, dubitemus, num verus sit.

De Lentulo coniurationis duce Cicero (pro Sulla § 33. 53., pro Flacco § 97.) cum Plutarcho (in cap. 17.) consentit. Sed a Cicerone in eo differt, quod narrat, a vatibus Lentulum esse corruptum et ne temporis occasioni deesset, ut Catilina, esse monitum. Quæ relatio e Cicerone hausta esse non potest ideo, quod Cicero Catilinæ nusquam desidiam atque ignaviam exprobrat (confer potius in Cat. III, 17.).

Eandem autem rem Catilinæ apud Plut. in Vit. Catonis in c. 22. Lentulus et Cethegus crimini dant. Quam relationem esse falsam, certum est. Deinde negem, Ciceronem in libris suis narrasse, praecipue in commentariis suis, quomodo Lentulus sibi cognomen Suræ acquisiverit in causa de peculatu, et de altera causa Lentuli dixisse. Itaque sumam, Livium hic auctorem huius relationis fuisse.

Haud recte in c. 18. scriptor refert, Lentulum solum consilium caedis faciendæ atque urbis inflammandæ iniisse (confer Sall. c. 43.).

In hoc capite e Cicerone Plutarchum non hausisse, id verisimile reddit, quod pauca sunt, quæ a Cicerone non valde abhorreant. Maxime autem coniuratorum consilium a Cicerone, qui tantum unum consilium, quod in conventu apud Porcium Laecam facto initum est, nosse videatur, differt. Sed cum neque de hoc consilio neque de ceteris in hoc capite Plutarchus cum Sallustio congruat, nobis nihil aliud relinquitur nisi ut ad Livium ut fontem recurramus, praesertim cum iterum verba inveniantur, quæ ad Pompeium spectant: „*φείδεσθαί τε μηδενὸς ἢ τῶν Πομπηΐου τέκνων· ταῦτα δ᾽ ἐξαρπασαμένους ἔχειν ὑφ᾽ αὑτοῖς καὶ φυλάττειν ὅμηρα τῶν πρὸς Πομπήϊον διαλύσεων.*“ Ut supra (in c. 16.) numeri nobis suspecti de fide eius fuerunt, ita hic nobis in suspicionem numerus „centum“ venit, quoniam in eo Sallustius (confer eius c. 43.) dissentit. Haud dubie autem Plutarchus falso refert, Ciceronem per conscios coniurationis et inquisitores suos colloquia et disceptationes inter coniuratos et

Allobroges comperisse; nam e Sallustio (cap. 41.) scimus, Q. Fabium Sangam cum Cicerone hanc rem communicasse. De Allobrogum coniunctione occulta cum Cicerone confer Cic. de dom. s. § 134. et Sall. c. 41. et c. 44. Huius capitis auctorem Livium fuisse existimem. Cap. 19. multas res novas nobiscum communicat, quæ neque a Cicerone neque a Sallustio enarrantur (confer indicia per Silanum et Pisonem facta; vestis mutationem, quam Lentulus coniuratis convictis fecit; sacrificium in Ciceronis domo a Vestalibus praeparatum). In toto autem hoc capite nihil e Cicerone sumptum esse, ex eo cognosci potest, quod Plutarchus his verbis de Cicerone usus est: „*Τήν τε γὰρ ἄκραν . . . . τιμωρίαν ἐξευλαβεῖτο καὶ κατώκνει δι' ἐπιείκειαν ἤθους ἅμα καὶ ὡς μὴ δοκοίη τῆς ἐξουσίας ἄγαν ἐμφορεῖσθαι καὶ πικρῶς ἐπεμβαίνειν ἀνδράσι* . . .“, quæ verba Cicero de se ipso non dixerit. Confer ad id ea, quæ Plutarchus cap. sequenti de Terentiæ auctoritate et vi apud Ciceronem et de criminationibus in Caesarem refert. Quæ Plutarchum e Cicerone non hausisse, nemo erit, qui infitietur. Quod ad fidem Plutarchi ad haec duo capita (c. 19. et 20.) spectantem attinet, fides ei attribuenda est, quamvis in nonnullis erret. Scriptor enim falso unam tantum noctem inter coniurationem apertam et supplicium de coniuratis captis factum interponit et eos, in quorum liberam custodiam dati erant, falso omnes praetores nominat (confer Sall. c. 47, 4.). Scriptor igitur, cum a Cicerone et Sallustio differat, ex eodem fonte hic quoque hausit. De Ciceronis aliorumque suspicione in Caesarem conferas Plut. in Vit. Caes. c. 7. et 8., in Vita Crass. c. 13., in Vit. Cat. c. 22. 23. 26. Ex his omnibus locis apparet, scriptorem, quem Plutarchus sequitur, de Caesaris suspicione quidem coniurationis dixisse, sed non de Caesaris culpa. Ille enim rem de Caesare in medio reliquit contra Ciceronis in Caesarem criminationes (confer Plut. Crass. c. 13.) his verbis (Plut. Caes. c. 7.) „*οἷς* (id est Lentulo et Cethego) *εἰ μὲν κρύφα παρεῖχέ τι θάρσους καὶ δυνάμεως ὁ Καῖσαρ, ἄδηλόν ἐστιν*“.

De Caesaris sententia, quam Plutarchus in Vit. Cic. c. 21., in Vit. Caes. c. 7., in Vit. Cat. c. 22. commemorat, iam supra (p. 20. 21.) diximus. Cum Plutarchus nobis Caesaris sententiam alio modo tradiderit atque Cicero, ex eo sequitur, ut is ex illo non hauserit (confer cum Plutarcho Cic. in Cat. IV, 7. 8.). Aliud testimonium, Ciceronis scripta Plutarcho ante oculos versata non esse, afferre videntur haec scriptoris verba: „*αὐτός τε γάρ* (scil. *Κικέρων*) *ἐνεχείρησεν εἰς ἑκάτερον* (id est *Καίσαρα καὶ Σιλανόν*), *τὰ μὲν τῇ προτέρᾳ, τὰ δὲ τῇ γνώμῃ Καίσαρος συνειπών, οἵ τε φίλοι πάντες*

οἰόμενοι τῷ Κικέρωνι συμφέρειν τὴν Καίσαρος γνώμην — ᾑροῦντο τὴν δευτέραν μᾶλλον γνώμην (Plut. Cic. c. 21.), quibus e verbis elucet, Ciceronem oratione Nonis Dec. a. 63. in senatu habita magis nocuisse quam profuisse; nam eius familiares amicique ea commoti sunt, ut metu, ne popularium impetus in Ciceronem Caesaris sententia spreta inciderent, in Caesaris sententiam discederent (confer Sueton. div. Jul. c. 14.). De Q. Catulo Caesaris sententiæ primo adversante Plutarchus duobus locis dicit (in Vit. Cic. c. 21. et Caesar. c. 8. — conf. Schlieph. p. 28. et Dübium ad Plut. Vit. Cic. c. 21. p. 861 ff.). In cap. igitur 21. Plutarchum Ciceronem secutum non esse, ex iis, quæ dicta sunt, cognoscatur. Huc accedit, quod Cicero non narravit, Catonem Caesarem in suspicionem vocasse (confer Plut. Cic. c. 21. — Caes. c. 8., Cat. c. 23.) et Caesarem, qui sententiæ eorum, qui confiscationem bonorum supplicio de coniuratis sumendo addi voluerunt, vehementer se opposuerat, ex senatu decedentem in magnum vitæ periculum ab equitum partibus venisse (confer Plut. Cic. c. 21. et Caes. c. 8; Sall. c. 49; Suet. div. Jul. c. 14.).

Quod ad c. 22. in Vit. Cic. pertinet, affirmare quidem non possum, e Cicerone id non haustum esse, sed tamen sumam, hoc quoque e Cicerone non sumptum esse ideo, quod in prioribus capitibus Livium solum auctorem narrationis fuisse demonstrasse mihi videor et quod in sequentibus (confer c. 23. et 24. maxime in initio) Cicero fons Plutarchi non videtur fuisse:

Iam reliquum est, ut de iis loquamur, quæ ille e Ciceronis ipsis commentariis de consulatu videtur hausisse (confer Dübium ad Plut. Cic. c. 21. et Thouret. in Studiis Lips. p. 315.). Etiamsi duobus locis (in Vit. Caes. c. 8. et Crassi c. 13.) Plutarchus Ciceronis commentarios de consulatu suo citet, tamen dubitem cum Schliephackio (p. 30), num ille hos commentarios ante oculos habuerit. Quominus id sumam, obstant haec. In c. 7. Vit. Caes. Plutarchus Cicerone usus esse non videtur, nam Ciceronem in commentariis de Caesare tam suspiciose non dixisse credo. Huc accedit, quod vix fieri potuit, ut, si Plutarchus e Cicerone hausisset, ille Caesaris sententiam falso redderet. Praeterea nescio an non Cicero in Caesaris favorem, tum, cum Caesar a L. Vettio Judice et Q. Curio inter Catilinæ socios nominatus est, dixerit, Caesarem sibi indicia ultro de coniuratione fecisse (confer Sueton. div. Jul. c. 17.). Postremo fieri non potuit, ut res tam dubia ac difficilis esset, utrum Caesar coniurationi faveret eiusque socius fuisset necne, et ut Caesar postea in Ciceronis amicitiam pervenire studeret, si Cicero adeo in commentariis suis Cae-

sarem in suspicionem coniurationis vocasset, ut Plutarchi fons fecit. Si autem sumamus, his verbis c. 8. Vit. Caes.: „τοῦτο μὲν οὐκ οἶδα ὅπως ὁ Κικέρων, εἴπερ ἦν ἀληθές, ἐν τῷ περὶ τῆς ὑπατείας οὐκ ἔγραψεν“ Plutarchum ad ipsos Ciceronis commentarios spectare, et ex his verbis elucere, Plutarcho Ciceronis commentarios ante oculos fuisse, non intelligam, quomodo evenerit, ut Plutarchus haec diceret neque tamen in c. 7. et 8. Vit. Caes. Ciceronis auctoritate niteretur.

In c. 13. Vit. Crassi res non alio modo se habet. Plutarchus enim narrat, Crassum quidem ab homine quodam inter coniuratos esse nominatum, sed neminem hoc credidisse. Cui sententiæ Ciceronem opponit dicentem, Caesarem et Crassum coniurationis fuisse socios. Sed hunc impugnat his verbis: „ἀλλ' οὗτος μὲν ὁ λόγος (in quo Cicero dixit, Caesarem Crassumque fuisse coniuratos) ἐξεδόθη μετὰ τὴν ἀμφοῖν τελευτήν, ἐν δὲ τῷ Περὶ ὑπατείας ὁ Κικέρων νύκτωρ φησὶ τὸν Κράσσον ἀφικέσθαι πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴν κομίζοντα . . .“ Quod nusquam in hoc capite invenitur, quod ad Ciceronis auctoritatem referri possit, ex eo intelligitur, alium auctorem Plutarchi fuisse, cui fortasse hoc iudicium de Ciceronis criminibus in Caesarem attribuendum erit. (confer iudicium de Caesare coniurationis socio, quod Plut. in Vit. Cic. c. 7. his verbis facit: „οἷς εἰ μὲν κρύφα παρεῖχέ τι θάρσους καὶ δυνάμεως ὁ Καῖσαρ, ἄδηλόν ἐστιν.)

In Vit. Cat. c. 22. nonnulla quoque inveniuntur, quæ cum ad propensam in optimates auctoris, quem Plutarchus sequitur, voluntatem tum ad ipsum auctorem spectant. Nonne haec Plutarchi verba: „καὶ ταῖς περὶ Κατιλίναν πράξεσι μεγίσταις καὶ καλλίσταις γενομέναις τέλος ἐπέθηκεν (scil. Κάτων)“ testimonia eius rei sunt, quam primam commemoravimus? Ciceronis scripta a Plutarcho excerpta esse non posse, nonnulla docent: primum magna Catonis laus, deinde Lentuli atque Cethegi in Catilinam criminationes, de quibus iam supra (p. 33) diximus, tum verba criminosa in C. Caesarem. Neque in c. 23. Cicero Plutarchi fons existimandus est; nam relatio de Catonis oratione tam plena criminum in Caesarem est, ut Cicero auctor fuisse non videatur. Cum certum sit, Sallustium fontem Plutarchi in his cap. non fuisse, recurrimus ad eum fontem continuum, quem Plutarchus saepe, ut demonstravimus, excerpsit. Huc quoque spectant verba Plutarchi in c. 22.: „ἐξέπεσε τῆς πόλεως (Κατιλίνας)“ et in Vit. Caes. c. 7. — αὐτὸς μὲν ἐξέπεσε . . ., (confer Liv. Perio. l. 102.; „Catilina urbe (ex) pulso.“ Unde Plutarchus relationem de Catonis oratione sumpserit, dici non potest. Sed putarim illum eam e Livio hausisse.

Verisimile est igitur, ut repetamus, quæ de fide auctoritateque Plutarchi dicta sunt, Plutarchum unum tantum fontem, Livium, secutum esse. Quod ex eo sequitur, quod demonstrasse mihi videor, Plutarchum e Cicerone atque Sallustio non hausisse, sed fontem eius, Livium. Praeterea studium in optimates propensum et criminationes crebræ in Caesarem ad Livium referenda videntur esse. Huc accedit, quod Plutarchus bis (in Vit. Caes. c. 47. et 53.) Livium fontem nominavit. Neque enim est negandum, Plutarchum paucis rebus exceptis fide dignum esse. Itaque facere non possum, quin Schliepbackio dicenti (p. 29. 30.), Livium summum fontem Plutarchi fuisse, ita assentiar ut addam, unum illum fontem fuisse.

F. Suetonius.

Suetonius de coniuratione priore in vita divi Julii capite nono, de rebus a coniurationis prioris temporibus usque ad coniurationem Catilinariam gestis in c. 9—14., de ipsa coniuratione et de eius exitu atque eventu in c. 14—18. agit. Iam satis de priore coniuratione Johnius (p. 722. et 723.) et Dübi (in diss. p. 11.) disseruerunt. Primum nos offendit id, quod S. Cn. Pisonem inter coniuratos a. 66. non nominat, (in c. 9. init.), cum (in eodem capite paulo postea) narret, „Cn. Pisoni ob suspicionem urbanæ coniurationis Hispaniam provinciam ultro extra ordinem datam esse.“ Haud accurate S. dicit Pisonis provinciam Hispaniam fuisse, nam Piso in Hispaniam citeriorem missus est (conf. Sall. c. 19, $_1$.). De conspiratione, quam a Caesare et Pisone contra rem publicam esse factam, Curio et M. Actorius Naso auctores sunt, ab aliis quidem scriptoribus parum certiores facti sumus, sed ea relatio a vero abhorrere non videtur. (vid. Ascon. ed. Kiessling et Schœll p. 74. et 82.). De Caesaris consilio Aegypti provinciæ extra ordinem occupandæ, quod Suet. c. 11. commemorat, Cicero quoque in orat. II. de leg. agr. § 44 dicit. Neque a veritate abhorret id, quod Suetonius (c. 12.) narrat, a Caesare T. Attium Labienum adiutum esse contra C. Rabirium, perduellionis reum (confer Dion. Cass. 37, 26. et 27.). Sed parum diligenter S. dicit, aliquot ante annos L. Saturninum tribunum pl. fuisse (confer Cic. in Pis. § 4. et Dio. Cass. 37, 26.). De Caesaris Pontificatus maximi petitione eiusque eventu, fere idem Plut. in Vit. Cic. c. 7. refert (confer Sall. c. 49.). Non est autem negandum, Suetonium non recte referre dicentem, Dec. Junium Silanum tantum sententiam suam aliter esse interpretatum, non mutasse (c. 14.), cum sciamus,

illum sententiam suam non solum interpretatum esse, sed etiam mutasse (conf. Sall. c. 50.; Plut. Cic. c. 21., Cato. c. 22. 23. et ea, quæ supra p. 20. diximus.). Quod pertinet ad Caesaris minas in eos, qui sententias severiores dixerunt, in eo Suet. (c. 14.) consentit cum Cicerone (in Cat. IV, 9.) et cum Plut. (Cat. c. 23.). At contra in Suet. relatione de Caesaris periculo (c. 14.) nonnulla sunt, quæ vituperatione digna existimentur. Primum verba Suetonii „ac ne sic quidem impedire rem destitit (sc. Caesar), quoad manus equitum romanorum . . . necem comminata est", a veritate aliquid abhorrent. Nam e Plutarcho (in Vit. Caes. c. 8.) scimus, Caesarem tum demum in vitæ periculum venisse, cum Catonis sententia iam vicisset. Deinde Suetonio vitio tribuendum est, quod narrat, Caesarem sedentem paucos complexu togaque obiecta servasse, cum Sallustius (c. 49.) et Plutarchus (in Vit. Caes. c. 8.) recte referant, Caesari ex senatu egredienti equites gladiis esse minatos. Quibus e causis facere non possum, quin de relatione Suetonii „paucos Caesarem servasse" dubitem (at contra vid. Plut. Caes. c. 8.). Sed de ipso Caesaris periculo vitæ haud scio an non dubitari possit, quamvis Livius, ut supra diximus (p. 36.) hanc relationem esse falsam existimet. Prorsus tum Suetonius, qui dicit, (c. 14. extr.) Caesarem in reliquum anni 63. tempus non iam in senatum venisse, est refutandus (confer Plut. Caes. c. 8. et Cat. c. 26.). Suetonium autem recte de criminibus in Caesarem, quæ a L. Vettio et a Curio allata sunt, dixisse, Dio Cass. 47, 41 confirmare videtur. Quamquam, ut in fontes inquiram, quos S. secutus sit, Suetonius auctores relationis suæ (Tanusium Geminum, M. Bibulum, C. Curionem, M. Actorium Nasonem) nominat, qui Caesaris amici non erant (confer John. p. 722.), affert, tamen, quominus cum Thouretio (p. 321. in Stud. Lips.) sumam, c. 17. scriptorem eosdem auctores esse secutum, prohibeor, quod, ut John. p. 722. recte vidit, Suet. in hoc capite non dicit, utrum Caesarem coniurationis Catilinariæ socium fuisse putet necne. Huc accedit, quod vix fieri potuit, ut iidem auctores, quos S. c. 9. citat, non dicerent, Caesarem postremis anni 63. diebus in maximam coniurationis suspicionem venisse et ob eam suspicionem equites Caesari esse minitatos. Neque enim putare possumus, illos auctores de hac suspicione non audisse vel hanc posteritati tradere noluisse. Itaque existimem, Suetonio praeter illos alium fontem ante oculos fuisse; sed quod nomen huic fonti sit dandum, ignoramus. De fide autem Suetonii tantum dicimus, illum quidem in cumpluribus rebus falsa narrasse, sed tamen in summis rebus ei fidem

non esse abrogandam, praesertim cum multa ab aliis scriptoribus eodem modo referantur.

G. Julius Florus.

Julii Flori epitomæ de T. Livio bellorum omnium annorum DCC libri duo continent nonnulla de Catilinæ coniuratione.

In Art. XII. libri II. agit de bello Catilinæ et locis aliis (p. 18. 21. 64.) de ipsa coniuratione. Cum Jul. Florus Livii epitomator nominetur, tamen videamus, num recte hoc nomen ei tribuendum sit, quod historici recentes arbitrantur Flori narrationem de coniuratione Catilinaria nihil aliud esse nisi Sallustii summarium (confer John. p. 756. et Dübium p. 866. in Adnot. ad bell. Cat. Jul. Flori.). Nobis igitur examinandum est, utrum recte omnia, quæ Florus affert, ad Sallustium sint referenda necne. Florus autem, ut videbimus, propria a Sallustio abhorrentia habet itaque e Sallustio hausisse omnia non potest. Cuius rei testimonia sunt haec scriptoris verba: „diripere aerarium“ (in bello Catilinæ) et „direptio aerarii“ (p. 21.), quæ apud Sallustium nusquam inveniuntur. Deinde a Livii Periochis haec Flori verba non valde dissentiunt: „actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa coniuratio in Ciceronem et Antonium consules incidisset, quorum alter industria rem patefecit, alter manu oppressit (confer Livii Perioch., lib. 102.). Neque enim legimus, Sallustium Ciceronis meritum sic amplificasse et ipsum Antonium laudasse. Huc accedit, quod Florus (in bell. Cat.) dicit, Ciceronis orationem in Catilinam effecisse, ut Catilina hostis publicus evaderet, cum Sallustius in ea re differens ab illo referat, Catilinam diu meditatum, quod vidisset, sibi in urbe nihil processurum esse, ultro urbem reliquisse (confer Sall. c. 32.). Quid? Num Sallustius tradidit, „Lentulum ad praestitutum a Catilina diem urbe tota viros, faces, tela disposuisse“? Quid sibi velit scriptor dicens, alteram proditionem a Volturcio esse factam, non intelligo. Quod esse falsum puto, nam ab aliis scriptoribus id valde dissentit. Praeterea Florus complures errores commisit. Falso enim refert (p. 21.) Catilinam in Apulia ab Antonio esse debellatum. Alius lapsus est in nomine „Longrini“, cum apud Sallustium (c. 17, 3.) nomen illud „L. Cassius Longinus“ recte referatur. Tum scriptor iisdem verbis eodem loco falso, quo Sallustius c. 31, 9. (— incendium meum ruina restinguam —) utitur. Quæ res testatur, Livium iam e Sallustio hausisse (confer p. 29. et 30. id, quod de Plutarchi fonte

diximus). Haud accurate scriptor dicit, omnes senatores Catonis sententiam esse secutos (confer Sall. c. 53, $_1$.). Quamvis in reliquis Florus a Sallustio non valde differat et in fine „belli Catilinæ" eadem verba, quæ Sallustius, (c. 60, $_1$. et 60, $_4$.) faciat, tamen non contenderim, Florum Sallustium excerpsisse, sed eius auctorem, Livium, e Sallustio hausisse putarim, nam ita optime apparet, quomodo factum sit, ut Florus modo cum Sallustio congrueret modo ab eo dissentiret. Pauca autem sunt, quæ Florus copiosius quam ii scriptores, de quibus disseruimus et disseremus, afferat (confer Flor. p. 18. de Cornelii Cethegi in fratrem sententia.). De Flori fide tantum dicendum est, illum erroribus nonnullis praetermissis, quos non eius auctori, sed ei ipsi tribuere debemus (confer relationem de „altera proditione Volturcii," de Catilina in Apulia debellato, de falso nomine „Longrini"), tanti esse aestimandum, quanti eius fontem. Itaque ut repetamus, quæ iam de Floro diximus (confer Teuffel., R. L. de J. Floro p. 719 § 325.), non dubitamus, quin Florus recte Livii epitomator dicatur.

H. Appianus.

Unde Appianus in bello civili II, 2—7, ubi de coniuratione Catilinaria loquitur, hauserit, de ea re historici recentiores non consentiunt. Dübi enim (p. 870. in Adnot. ad Appian.) existimat, in prima parte (c. 2—5.) Appianum e Sallustio solo, in altera parte (c. 6. et 7.) e Sallustio, Plutarcho, traditione populari hausisse, cui Wiedemannus (in Philologo t. XXI, p. 473 ff.) assensus est, popularem traditionem excipiens, Schliephackius autem (p. 21. et 22.) sumit, ab Appiano maxime Sallustium esse excerptum, sed, ubicunque Plutarchus et Appianus inter se congruant, utrumque scriptorem fonte communi esse usum.

Cap. 2. Appianus dicit, Catilinam Sullæ socium ac familiarem fuisse, his verbis usus: „Σύλλα φίλος τε καὶ στασιώτης καὶ ζηλώτης μάλιστα γεγονώς." Quæ verba apud Sallustium non inveniuntur, sed a veritate non abhorrent (confer Plut. Cic. c. 10. et Sull. c. 32.). Verba autem scriptoris „καὶ θεραπευόμενος ἔτι πρὸς δυνατῶν ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν ἐς ὑπατείαν παρήγγελεν . ." non magis quam illa ad Sallustii auctoritatem sunt referenda. Neque negem, Catilinæ opprobria et maledicta in Ciceronem e Sallustio sumpta non esse, quamvis Dübi (p. 867) Wiedemannus (in Philolog, XXI, p. 473. ff. Schliephackius (p. 5.) ea e Sallustio hausta esse contendant.

Praeterea Appianus narrat, coniurationem post comitia consularia anno 64. habita ortam esse, Sallustii auctoritate neglecta (App. II, 2.). Quæ momenta nos impediunt, quominus tres illos viros doctos sequentes sumamus, omnia, quæ in hoc capite Appiani leguntur, ad Sallustium esse referenda, quamquam hic nonnulla e Sallustio hausta esse facile concedimus. Verba tertii capitis: „*Κατιλίνας δ᾽οὐδενὸς μέν πω θαῤῥοῦντος αὐτοῦ λαβέσθαι διὰ τὴν ἔτι τοῦ ἀκριβοῦς ἀγνωσίαν, δεδιὼς δ᾽ὅμως καὶ τὸ χρόνιον ἡγούμενος ὕποπτον*“ a Sallustii narratione (in c. 32.) prorsus dissident. Recte igitur hic, ut in praecedentibus verbis, quæ, ut id addamus, ab ipso Cicerone (ad famil. V, 2. 1; pro Sestio § 8. 11. 12.) confirmantur, scriptor refert.

Cap. 4. autem nihil, quod ad alium auctorem spectet, invenitur.

Quamquam c. 5. maximam partem e Sallustio haustum videtur esse, tamen vix dubitandum erit, quin nonnulla aliunde profecta sint.

Primum verba scriptoris „*ὁ δὲ Κικέρων ἕκαστον ἐς τὰς οἰκίας τῶν στρατηγῶν διαθεὶς ἐπανῆλθεν*“ a Sallustio dissentiunt, qui c. 47. dicit eos, in quorum custodiam liberam coniurati dati sunt, neque commemorat, eos praetores sive magistratus fuisse. Praeterea Sallustius eodem capite refert, senatum decrevisse, ut captivi in liberis custodiis haberentur. Minus autem illa verba ab his Plutarchi verbis (in Vit. Cic. c. 19.): „*οὗτος μὲν οὖν καὶ οἱ σὺν αὐτῷ παρεδόθησαν εἰς ἄδεσμον φυλακὴν τοῖς στρατηγοῖς*“ differunt hoc uno excepto, quod Plutarchus non commemorat, Ciceronem coniuratos in liberam custodiam dedisse. Deinde sententia Neronis apud Appianum ita discrepat a Sallustio (confer c. 50, 4), ut ille ex hoc hausisse non videatur (aliter sentiunt de ea re Dübi ad c. 5. App., Wiedemannus in Phil. XXI, p. 478. Not. 7.; Schliephackius p. 20.). De veritate autem huius sententiæ iam supra p. 20. et 21. satis diximus.

Cum igitur in c. 2—5. A. maxime Sallustium, in paucis autem alium auctorem secutus sit, in c. 6. et 7. non e Sallustio, sed ex alio fonte, quem Dübi et Wiedemannus Plutarchum nominant, hausit. Sed videamus, num in c. 6. et 7. omnia ad Plutarchi auctoritatem referri possint. Verba enim Appiani „*ὁ Κικέρων δεδιὼς ἀμφὶ τῇ νυκτὶ προσιούσῃ, μὴ τὸ συνεγνωκὸς τοῖς ἀνδράσι πλῆθος αἰωρούμενον ἔτι κατ᾽ ἀγορὰν καὶ δεδιὸς περί τε σφῶν αὐτῶν καὶ περὶ ἐκείνων, ἐργάσηταί τι ἄτοπον, ἔπεισεν ὡς αὐτοφώρων ἄνευ κρίσεως καταγνῶναι*“ (App. c. 6) e Plutarcho esse sumpta, negarim, quod Plutarchus non refert loco illo, ubi de Ciceronis oratione (conf. Vit.

Cic. c. 21.) loquitur, Ciceronem metu commotum, ne sequenti nocte a coniurationis sociis quid in rem publicam fieret, senatui persuasisse, ut statim captivos damnaret. Haud scio an id, quod A. Catonis et Ciceronis sententias falso commiscuit, Appiani negligentiæ et levitati, de qua saepius Dūbi, Wiedemannus, Schliephackius recte meminerunt, vitio sit tribuendum. Verum autem est, Ciceronem metuentem, ne quid in urbe a coniuratis fieret, de periculo in mora esse locutum, ut ex ea oratione, quam postea Cicero scriptam edidit, cognoscere possumus (confer in Cat. IV, § 6. 24.), etiamsi id Plutarcho concedendum sit, Ciceronis orationem parum fortem atque acrem fuisse, ut magis noceret quam prodesset (confer p. 34. et 35.). Praeterea autem nemo erit, qui dubitet, quin Appiani verba: (in c. 6. extr.) „*οἱ δὲ διελύοντο* (scil. coniurationis socii) *πεφρικότες τε καὶ περὶ σφῶν ἀγαπῶντες ὡς διαλαθόντες*“ non e Plutarcho sumpta sint.

Verba in c. 7. „*Κατιλίναν δὲ ἐς δισμυρίους τε ἀγείραντα*“ historici recentiores e Plutarcho (conf. Cic. Vit. c. 16. extr.) sumpta esse ponunt, sed de eo dubitarim, quod in c. 5. extr. et c. 6. nonnulla inveniuntur, quæ ad Plutarchum referri non possint nisi per vim. Ob eandem quoque causam cum Dūbio et Wiedemanno sumere non possum, Caesaris sententiam, quæ a Plutarcho (confer Caes. c. 7. et Cic. c. 21.) non differt, e Plutarcho haustam esse (vid. App. II, 6.). Quamvis Dūbi et Wiedemannus (p. 478.) dicant, de honoribus, quos senatus Ciceroni decrevit, Appianum (c. 7.) a Plutarcho (conf. Vit. Cic. c. 22. et 23.) non differre, tamen nego, verba Appiani „*χάριτές τε ἦσαν αὐτῷ* (scil. *Κικέρωνι*) *παρὰ τὴν ἐκκλησίαν καὶ εὐφημίαι ποικίλαι*“ e Plutarcho sumpta esse posse.

In prima c. 7. parte, quæ de Catilinæ exitio agit, Sallustium ab Appiano esse excerptum, Dūbi et Schliephackius (p. 21) mihi videntur recte dixisse.

Erratis autem, quæ multa in Appiano inesse illi viri, quos supra saepius nominavi, docuerunt, hoc addiderim: Appianus enim, quem Wiedemannus et ceteri recte vituperarunt, quod res, quæ per tres dies factæ sunt, uno die factas esse dicit, falso refert, (c. 6. extr.), Ciceronem senatu nondum dimisso coniuratos in carcerem deduxisse eosque morientes vidisse, cum Plutarchus his verbis a veritate non abhorrens utatur (confer Cic. c. 22. init.) „*ἐχώρει δὲ μετὰ τῆς βουλῆς ἐπὶ τοὺς ἄνδρας*“ (id est postquam Catonis sententia contrarias vicit.)

Itaque cum cognoverimus, Appianum non solum e Sallustio;

sed etiam ex alio fonte hausisse ideo, quod A. saepe cum Plutarcho, quem Livio usum esse supra demonstrare conati sumus (confer p. 28—37.), consentit neque ex eo hausit, quamvis Wiedemanno (p. 478.) concedere debeamus, eisdem verbis utrumque scriptorem interdum usum esse, ex eo sequitur, ut Appiani fides multis erratis quæ ei vitio tribuenda sunt, omissis, in fontium suorum fide sit posita. Nova autem A. non affert nisi id, quod narrat, anno 64. Catilinam in petitione consulatus a viris potentibus esse adiutum et Ciceronem periculo in mora coactum esse apud senatores verba facere contra Caesaris sententiam.

J. Cassius Dio.

De priore coniuratione C. D. loquitur in l. 36, c. 44; de rebus, quæ Catilinæ coniurationem antecesserunt, l. 37. c. 10; 25—28.; de ipsa coniuratione Catilinaria 37, 29—42.

Sed antequam accuratius cognoscamus et examinemus, quæ a Cassio Dione nobis prodita sunt, nobis ii sunt nominandi, qui proxime de Dionis fide scripserunt: Dūbi (Jahrb. d. class. Philol. 113. Bd. Jahrg. 1876 p. 871—77.), Schliephackius (Progr. d. Realsch.; zu Goslar 1877 p. 31—37.), G. Thouret (Studia Lips. I. T. p. 306—24. 1878.)

Cum autem Dūbi consentiens cum Wilmannsio (confer Dūbi. p. 877.) sumat, Dionem e Cicerone, Sallustio, Livio, Plutarcho, Appiano, id est, ex omnibus auctoribus, qui ante eum de eadem re egerunt, hausisse, Schliephackius (p. 31. 32. 33.) putat, ab illo maxime Livium, minus Sallustium et Appianum esse excerptum et Thouret. (p. 310. 311. 318.), non Livium, sed Ciceronem (imprimis eius commentarios) illum esse secutum.

Primum paucis de priore coniuratione dicemus, quam Dio, ut supra iam dictum est, l. 36, c. 44 commemorat. Sallustium autem huius Dionis narrationis auctorem non fuisse, recte mihi videtur Schliephackius (p. 31) demonstrasse. Ad eas causas, quas Schlieph. ad sententiam suam confirmandam affert, has addiderim: Apud Dionem neque Crassus nec quisquam alius coniurationis socius secretus commemoratur, praeterea Dio non refert, Pisonem a senatu metu Pompei et Crasso auctore in Hispaniam esse dimissum. Putarim igitur, Livium Dionis fontem hic fuisse, praesertim cum Livii Periochæ (l. 102.) idem, quod Dio, referant, P. Autronium Paetum et Cornelium Sullam coniurationis principes fuisse. Ciceronem autem

huius narrationis auctorem haberi ideo verisimile non est, quod apud Dionem Pompei nomen celatur, id quod Cicero in Epistola ad Pompeium, ubi Sullam inter coniuratos nominat (confer Cic. pro Sulla § 67.), fecisse non videtur.

L. 37. c. 10. D. recte narrat, Catilinam Figulo et Caesare consulibus apud iudicium de sicariis atque veneficis esse accusatum, sed absolutum (confer Ascon. p. 81. ed. Kiessling et Schœll.). Dionis autem verba „*ἐπεχείρησε τήν τε πολιτείαν νεωτερίζειν καὶ τοὺς ξυμμάχους ἐπ᾽ αὐτῇ συνιστάς*“ non dissident a verbis Plutarchi (in Vit. Caes. c. 7.) „*Ὁ γὰρ δὴ Κατιλίνας οὐ μόνον τὴν πολιτείαν μεταβαλεῖν ἀλλ᾽ ὅλην ἀνελεῖν τὴν ἡγεμονίαν*“ (confer Plut. Cat. c. 22.: „*Κατιλίνας — μεταβολὴν ἐπάγων τοῖς Ῥωμαίων πράγμασι καὶ στάσεις ὁμοῦ καὶ πολέμους ταράττων*“), id est, ad Livium auctorem spectare videntur (confer p. 35. 36.)

Cap. 26—28. (l. 37.) narrat scriptor accuratius de C. Rabirii perduellionis rei causa. Neque enim sumam, in his cap. Dionem e Ciceronis commentario de consulatu hausisse, ideo, quod hic de Ciceronis studio in Rabirium propenso eiusque labore in Rabirii favorem nihil dicitur. Huc accedit, quod in cap. antecedentibus in belli Mithridatici enarratione scriptorem non Ciceronem, sed alium auctorem (Livium) esse secutum verisimillimum est. Itaque haec coniectura omnino non est repudianda, Dionem eundem fontem, e quo maximam partem hausit, in sequentibus secutum esse. Sed videamus, num res ita se habeat.

c. 29. consentit in summa cum Plut. (Vit. Cic. c. 14.), sed nonnulla, quæ Plutarchus silentio praeteriit, tradit (confer Dionis verba de Cicerone legis Tulliæ de ambitu auctore et de malo successu criminationum contra Catilinam in senatu a Cicerone factarum). Cum autem uterque inter se non repugnet, sed saepius in ipsis verbis congruat (confer Plutarchi in Vit. Cic. c. 14. verba: „*τοῦ δὲ θώρακος ἐπιτηδὲς ὑπέφαινέ τι παραλύσας ἐκ τῶν ὤμων τοῦ χιτῶνος*“ et „*οἱ δ᾽ ἠγανάκτουν καὶ συνεστρέφοντο περὶ αὐτόν*“ cum Dionis verbis „*θώρακα ὑπὸ μὲν τὴν ἐσθῆτα παραφαίνων δὲ αὐτὸν ἐξεπιτηδὲς ἐνεδύσατο*“ et „*ὅτι δῆμος δεινῶς ἠγανάκτησε*“) neque alter ex altero hauserit, nihil aliud nobis relinquitur, nisi ut putemus, utrumque ex eodem fonte hausisse, id est, e Livio (confer p. 31. ubi de Livio, Plutarchi fonte, in c. 14. Ciceron. Vit. diximus) in secunda huius capitis parte (vid. Dionis verba: „*ἐπειδή τε οὐκ ἔπεισε σφᾶς ψηφίσασθαί τι ὧν ἠξίου . . . . . ἐφοβήθη ἅτε καὶ προςπαρωξυγκὼς τὸν Κατιλίναν*“, quæ non ad Ciceronem referantur, sicut verba „*τῆς τε*

ἑαυτοῦ ἀσφαλείας καὶ τῆς ἐκείνων διαβολῆς ἕνεκα). Sed in eo D. non Livium, sed Ciceronem sequi videtur, quod c. 29. dilucide dicit, coniurationem ante annum 64. nondum factam esse (scil. in prima capitis parte).

Sallustium autem sequens Dio in c. 30. (Sall. c. 24, 2.) coniuratorum consilium, quod tantum in Ciceronem senatusque principes, antequam Catilina iterum repulsam pateretur, initum est, ita auxit, ut diceret, tum iam id in omnem rem publicam factum esse. Sed Dioni vitio est dandum, quod post comitia consularia a. 63. Catilinam pollicentem cum tabulas novas tum agrorum distributionem facit. Ad Livium verba, quae D. de sacrificio a coniuratis oblato facit, spectare videntur ideo, quod de hoc sacrificio ipse Cicero secundum Sallustium (confer eius c. 22, 3.) scripsisse non videtur. Huc accedit, quod vix fieri potuit, ut Cicero in libris suis Antonium collegam suum inter coniuratos nominaret, id quod Dio fecit, fortasse Livium in hoc quoque secutus.

c. 31. commemorat litteras sine nomine scriptas et Crasso aliisque datas. De ceteris Dio accuratius et copiosius refert quam Plutarchus (vid. Vit. Cic. c. 15. extr.) ita, ut non negandum sit, Ciceronem (fortasse eius commentarios) auctorem hic haberi posse aeque ac Livium (quem Schlieph. p. 34. nominat). C. 32. ad eundem auctorem referendum est, ad quem caput prius. Sed in ea re D. errat, quod narrat, Catilinam se ipsum apud Metellum praetorem in liberam custodiam dedisse; nam Cicero (in Cat. I, 19.) dilucide dicit, Catilinam quidem ad Q. Metellum praetorem venisse apud eum habitatum, sed ab eo repudiatum apud M. Marcellum habitasse (aliter sentit Schlieph. p. 35). Itaque putamus, Dionem Ciceronis commentarios leviter ac negligenter hic excerpsisse. Ad Ciceronem autem auctorem huius capitis id spectare videtur, quod Cicero, ut Dio, nomina sicariorum silentio praetermisit (confer Ciceronis or. in Cat. I, 9. 10.). Ad eundem auctorem haec Dionis verba recurrant: „*ὁ γὰρ Κικέρων συχνούς τε ἐκ τῶν συνηγορημάτων, τοὺς μὲν οἰκειούμενος, τοὺς δὲ ἐκφοβῶν* etc“ (c. 33.); nam eodem silentio de indicibus suis Cicero utitur (in Cat. I, 8. 10.; pro Sulla § 14).

Quamquam Dionis verba c. 33.: „*μεταστῆναι ἡ γερουσία τὸν Κατιλίναν ἐψηφίσατο*“ non plane ad veritatem accedunt (confer Cic. in Cat. I, 20. 32.; in Pis. § 4.; in Cat. III, § 3.; Plut. Cic. c. 16.), tamen dici potest, senatum Catilinam ex urbe egredi iussisse, quod senatus, cum passus est, a consule Catilinam urbem relinquere iussum esse, probavit (confer Cic. in Cat. I, 20. 21. et Diod. Sic. l. XL, 5;

tom. III. ed. Bekk. p. 196.). Putem igitur, fieri potuisse, ut Cicero ipse in commentariis rem ita enarraret, quo doceret, senatum et semet ipsum idem voluisse, id est, Catilinam ex urbe expellere. Sed in sequentibus D. errores maiores commisit, qui ei ipsi neque cuiquam alii fonti vitio tribui debent (confer de iis Dübium ad c. 33. et Schlieph. p. 35. et 36.). Ciceronem auctorem huius capitis fuisse, negari non potest, hoc uno excepto, quod Cicero de Antonio non ita dixerit, ut Dio.

Verba c. 34. init.: „*καὶ ἐν καιρῷ γε εἰς τὰ μάλιστα τοῖς Ῥωμαίοις κατέμεινε*“ ad neminem alium auctorem nisi Dionem referenda sunt, nam quamvis haec verba Ciceronis meritum non detrectent, sed potius amplificent, tamen dubitem, num ipse Cicero consulto rem falso enarrarit. An quisquam opinioni illi se dedat, Ciceronem, quo meritum suum summo splendore afficeret, haec enarrare potuisse? Sed tamen facere non possum, quin sumam, (confer Dübi. ad c. 34. et Thouret. p. 315. in Stud. Lips. I. tom.), Ciceronis auctoritatem in hoc cap. Dionem esse secutum, quod verisimillimum est, verba de prodigiis ac miraculis e Ciceronis commentariis, quos in cap. antecedentibus D. excerpsisse videtur, hausta esse, nam cum Cicerone in Cat. III, 19—21. consentiunt (aliter sentit Schlieph. p. 31). Cap. 35. Dionem e Sallustio hausisse cum relationem de Crassi accusatione tum de conatu libertorum ac servorum Lentuli ceterorumque captivorum liberandorum causa facto, pro certo habeam (confer Dübi. p. 875. et Schlieph. p. 36.). Quamvis Dio narret (conf. Schlieph. p. 36.), unam tantum noctem inter eum diem curiæ, quo coniurati in liberam custodiam dati, et eum, quo morte affecti sunt, interfuisse, tamen de rebus, quas secunda nocte (id est nocte, quæ diem pridie Nonas Decemb. secuta est) factas esse scimus (vid. Sallust. c. 48. 50.) refert, qua ex re sequitur, ut Dioni, non eius auctori, hoc tribuendum sit vitio. Plutarchus quidem (in Vit. Cic. c. 19. 20.) accuratius et copiosius de sacrificio in Ciceronis domo facto dicit neque tamen cum Schliephackio (p. 36.) sumam, Dioni eundem fontem, quem Plutarcho, (id est Livium) ante oculos esse versatum, ideo, quod in hoc et sequenti capite Ciceronem fontem Dionis fuisse verisimile est. Cuius rei testimonium est Caesaris sententia (c. 36. init.), quæ prorsus cum Cicerone (in Cat. IV, § 7. et 8.) consentit. Sed redeamus ad finem capitis 35. A Cicerone Dionis relatio de Capitolio et foro nocte ante Non. Dec. ab armatis occupatis confirmatur (vid. Cic. Philipp. II, 7, 16. et de orat. post red. in sen. hab. § 12.), item de conscriptione militum. Unde Dio falso

sumpserit, Ciceronem metu ac terrore senatum commovisse atque persuasisse, ut coniuratos supplicio afficeret, certo dici non potest. Haud scio an Dio ipse Ciceronis orationem IV. in Cat. legerit et legendo hanc falsam opinionem sibi finxerit. Sed fieri quoque potest, ut Dio apud fontem suum (Livium?) invenerit rumores malevolos de Cicerone, quos ad historiam coniurationis enarrandam adhibuit. Quos rumores percrebescere potuisse, eius rei testes sunt loci apud Ciceronem (conf. Cic. Philipp. II, § 18—20.; et de or. post red. in s. h. § 12.). Nos autem rem in medio relinquimus, quamvis id, quod c. 36. D. narrat, Catonem demum sententia sua effecisse, ut morte coniurati afficerentur, cum verbis antecedentibus „*αὐτὸς δὲ* (scil. *Κικέρων*) . . . . *ἔπεισε θάνατον τῶν συνειλημμένων καταγνῶναι*“ consentire non videatur itaque magis Dioni quam eius fonti error ille vitio dari possit. Utique autem D. ideo est vituperandus, quod commemorat, supplicationem esse decretam, cum Catonis sententia vicisset (confer Cic. in Cat. III, 15; IV, 10.). Verbis Dionis quæ in parenthesi posuit „*ὃ μὴ πώποτε ἐπὶ τοιούτῳ τινὶ ἐγεγόνει*“ contineri videtur Ciceronis vituperatio. Recte D. haud scio an narret: „*καὶ οἱ ἄλλοι οἱ μηνυθέντες ἐζητοῦντο*“ (confer in Cat. III, 14.; Sall. c. 50, 4; ubi de iis coniuratis dicitur, qui damnati quidem erant, sed effugerant.). Verbis (c. 36.): „*καί τινες καὶ ἐπὶ τῷ μελλῆσαι συμφρονήσειν αὐτοῖς ὑποπτευθέντες, εὐθύνοντο*“, nisi fallor, Caesarem D. spectare videtur (confer Plut. Caes. c. 8., Cat. c. 26.). De ceteris (praeter Fulvium), qui filios necarunt, relatio forsitan valde a veritate abhorreat. Itaque ponam, eam ad Livium esse referendam; nam vix Cicero haec enarrasse putari potest. In sequentibus autem capitibus e Cicerone Dio non iam videtur hausisse, ideo, quod c. 37. narrat, quibus modis Caesar usus sit, ut favorem populi nancisceretur, et c. 38., Ciceronem semper se ipsum praedicasse eoque, quamquam iam antea in populi invidiam propter supplicium de coniuratis sumptum venisset, maiore invidia flagrasse. Et c. 39. Antonium, Ciceronis collegam, ita depinxit, ut vix fieri posset, ut Cicero ipse auctor eorum verborum, quibus Dio de Antonio usus est, esset, cum saepius Antonium in coniurationis suspicionem vocarit (confer pro Sestio § 8. 12. et pro Flacco § 95.). Quod autem Plutarchus de Caesare (in Vit. Caes. c. 8., Cato. c. 23. 26., Cic. c. 20.) et de Cicerone (in Vit. Cic. c. 24. init.) libere dixit aeque ac Dio, conicere licet, illos scriptores in ea re ex fonte communi, id est, e Livio hausisse. De similitudine inter Sallustium (c. 56. 57. 61.) et Dionem (c. 39. 40.) videas Dübium ad c. 39. et 40. Dionis. Quamquam

enim, quoniam alii auctores nihil de ea re nobiscum communicarunt, non certo dicere possumus, Dionis verba de Antonio vera esse, tamen de Dionis veritate non dubitemus (Cic. ad famil. V, 5. et V, 6, 3 confer cum or. pro Sest. § 12.). C. 41—44. Catilinarios post Catilinam oppressum per praetores in diversis Italiæ terris suppressos esse, confirmat Orosius Presb. VI, 6; quem postea demonstrabimus e Livio hausisse. E quo sequitur, ut verisimillimum sit, Dionem hanc narrationem e Livio sumpsisse. L. Vettium indicem et accusatorem apparuisse, Sueton. quoque (in div. Jul. c. 17.) affirmat. De iudiciis in coniuratos factis videas Cic. pro Sull. § 6. 18. 83. et pro Plancio § 86. 100. Quod ad Caesaris impetus in senatus maiestatem factos pertinet, de quibus D. c. 42—44. loquitur, confer Suet. (div. Jul. c. 15. et 16.). De Caesare scriptor c. 44. iterum tam captiose et suspiciose dicit, ut Cicero auctor non fuisse videatur, sed alius fons, fortasse Livius. Itaque, ut repetam ea, quæ de fontibus ac fide Dionis dixi, demonstrasse mihi videor, Dionem Cicerone, Sallustio, Livio usum esse, maxime autem Cicerone et Livio, illo in parte priore, hoc in posteriore. De fide autem Dio non parvi existimandus est, cum materiam suam e fontibus fide dignis hauserit et collegerit, quamvis facere non possimus, quin concedamus, Dionem in nonnullis rebus errasse, non solum in iis, quas auctores eius falso tradiderunt, sed etiam in compluribus sua ipsius culpa.

Neque enim est negandum, Dionem ultra alios scriptores novas quasdem res prodidisse (confer senatus consulta propter coniurationem intra et extra urbem initam facta in c. 31; de Catilinæ efficacitate et actione in c. 32; de Antonii ad Catilinam opprimendum dimissi segnitie et inconstantia in c. 39.)

K. Eutropius.

De Eutropii breviario ab urbe condita (confer l. VI, c. 11.) tantum dicere possumus, brevem coniurationis Catilinariæ enarrationem nihil aliud esse nisi Livii epitomen; id quod ex eo apparet, quod Eutropii enarratio coniurationis non dissidet a Perioch. libr. 101. et 102. (confer Teuffel. § 390, 2.)

L. Paulus Orosius Presbyter.

Orosius in libro VI, c. 6. de coniuratione Catilinæ scripsit.

Quamquam paucis hanc enarrat, tamen aliquid novi profert, his verbis usus: „motus etiam in Pelignis ortus a Marcellis patre et filio per L. Vettium proditus, patefacta Catilinæ coniuratione, quasi succisa radice, compressus est et de utroque per Bibulum in Pelignis, per Ciceronem in Bruttiis vindicatum est." De motibus in terris Italiæ diversis per coniuratos factis Cassius Dio 37, 41. cum Orosio consentit, item de Vettii indiciis, quamvis Dio brevius (37, 41.) de hac re disserat; qua ex re intelligitur, Orosium quoque, cum, ut supra (p. 48) diximus, verisimile sit, Dionem, qui in c. 37—39. e Livio hausit, in capitibus etiam sequentibus e Livio hausisse, Livium secutum esse. Itaque non habemus, cur de veritate huius relationis Orosii dubitemus (de Orosii fontibus confer Teuffel., R. L. § 426, p. 944. et § 426, 4. p. 946.). Ad Livium quoque id spectat, quod Orosius Livium imitans titulo „breviarii ab urbe condita" utitur et quod Ciceronem quidem ac Sallustium VI, 6. citat, sed nihil ex utroque scriptore hausit.

Quoniam igitur de omnibus fontibus coniurationis Catilinariæ disseruimus, dicamus oportet, quibus fontibus maxime nisi historici recentiores coniurationis Catilinariæ historiam componere debeant. Omnium primus Cicero, fons uberrimus, quocum ceteros fontes non modo comparavimus, sed etiam ad quem illos inquisivimus atque examinavimus, ad historiam enarrandam adhiberi debet. Secundum Ciceronem maxima Plutarchi ratio erit habenda, tertius demum locus Sallustio concedi potest. Ceteri autem fontes, quamvis in singulis rebus vim quandam habeant, secundarii sunt nominandi.

Corrigenda.

Legas p. 1. pro „sed in paucis“ et in paucis tantum.
» p. 15. pro „an S. recte“ an non S. recte.
» p. 27. pro „Tertium Diodorus“ Tum Diodorus.
» p. 32. pro „τῆς πόλεας“ τῆς πόλεως.
— p. 38. deleas „nominat“.
legas p. 44. pro „ἐξεπιτηδές“ ἐξεπίτηδες.
» p. 48. pro „quasdem“ quasdam.

SYMBOLA AD HISTORIAM LIBRORUM SALLUSTIANORUM CONDENDAM DATUR.

I. DE STUDIIS IN SALLUSTIO CRISPO A POMPEIO TROGO ET IUSTINO EPITOMATORE COLLOCATIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXVI M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXII HORA XII

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

IULIUS SELLGE

SAGANENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

MAXIMILIANUS KULLA, DR. PHIL.
ROBERTUS KORNACZEWSKI, CAND. PHIL.
MARTINUS ZIMMER, CAND. PHIL.

SAGANI

TYPIS HENRICI MERTSCHING.

1882

MARTINO HERTZ

ET

AUGUSTO ROSSBACH

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

SACRUM VULT

AUCTOR.

Vix quisquam post heroica illa tempora ad scribendum accessit, quin se totum ad aliquem antiquiorum, qui omnium consensu ingenii ac doctrinae principatum obtinerent, exprimendum imitandumque daret. Quae verba Ruhnkenii[1]) praeter Homerum, Thucydidem, Platonem, Demosthenem, quos posterior aetas et admirata et acerrimo consectata est studio, in literis Latinis praecipue in Sallustio Crispo fatearis necesse est, quippe qui nobis severitate, gravi vitiorum censura, orationis proprietatibus, concisa brevitate super ceteros excellat. Nec mirum, si plurimos nactus est prae aliis imitatores neque ullus fere scriptor saepius aut a grammaticis tractatus aut a librariis scriptus fuit quam Sallustius[2]). Hunc igitur eiusque imitatores per totum temporis processum persequi cum ad artem criticam in illius operibus exercendam tum ad literarum historiam penitus noscendam utilissima[3]) est quaestio.

Ut vero textus, qui dicitur, historia critica nascatur, scriptoris fontibus[4]) sermonisque auctoribus[5]) investigatis et libris

---

[1]) In praefatione ex prima editione lexici Timaei = Opusc. tom. I ed. alt. Lugduni Batav. 1823 p. 85.

[2]) De hac scribendi ratione iusta
cf. Sallust. edit. Bipont. 1797 p. XVIII;
Bähr Röm. Litgesch. Carlsruhe 1845 II § 211, 2;
Th. Vogel de Sallustii vita, moribus ac scriptis Mainz 1857 p. 1;
Linker Sallustii Crispi historiarum prooemium Marburgi Cattorum 1850 p. 6;
Overbeck Pompeii p. 209;
Teuffel Sallust und Tacitus Tübingen Index 1868 p. 1;
at contra Gerlach Sall. edit. Basileae 1823—27 II 1 p. 3 et ann.; eiusd. edit. 1853 p. 443.

[3]) cf. Hertzii praeceptoris analecta ad carminum Horatianorum historiam in indd. schol. Vratislav. a. 1876 sqq., quibus in re instituenda me summopere esse adiutum gaudeo.

[4]) cf. Gerlach edit. 1823 II 1 p. 199. p. 337. II 2 p. 48.
Vogel l. l. p. 17.
Linker l. l. p. 16—18.
Duebi de Catilinae Sallustii fontibus Bonnae 1872.

[5]) cf. Dolega de Sallustio imitatore Thucydidis, Demosthenis aliorumque Vratisl. 1871.
Bruennert de Sallustio imitatore Catonis Sisennae aliorumque Jenae 1873.

manuscriptis[1]) exploratis, quantum equidem indicare possum, primum adiungenda sunt veterum testimonia[2]) sive, ut cum Hertzio loquar, iudicia generalia, quae aesthetica dicere solemus, deinde album imitatorum quomodoque in Sallustio operam posuerint, tum interpretum et iudicum criticorum in edendis emendandisque libris studia, denique opera Sallustii in linguam Germanicam conversa.

De imitatoribus Sallustii singulis iam peculiaribus commentationibus optime meriti sunt viri doctissimi[3]). Ad totam historiam componendam mea opella accessum aperire ab eaque exordium capere in animo habeo, in praesenti quidem plane perfectam de hac re quaestionem differens ac procrastinans vel viris politioris doctiorisque ingenii permittens. Equidem satis habebo, si comparatis Sallustio et Pompeio Trogo imitatore primo historiae illi fundamenta iecero, novique aliquid me attulisse credam, si in illam rem non iniucundam cognitu paulo diligentius inquisivero.

Viam ac rationem, quam in comparatione sequar, ut paucis significem, vocem imitatorum non ita accipi volo, quasi et in sententiis atque iudiciis stolide Sallustium repetierint et totum scribendi genus suum ad illum accommodaverint; tantum abest, ut in conficiendis enuntiationibus vocabulisque collocandis id est in stilo, qui vocatur, color Sallustianus universo orationis habitui atque indoli clarissime adspersus appareat, cum suam quisque loquendi rationem sibi finxerit, ut singulis in verbis, formulis dicendi, figuris, sententiis, proprietatibus Sallustii sermonis adoptatis, familiaritatem inter hunc imitatoremque intercedere cogno-

---

[1]) cf. quae Teuffel Röm. Litgesch.[3] p. 395, 8 laudavit;
Rhein. Mus. XXI 319; Hermes I 232;
Gerlach. edit. mai. I. p. XII—XXVII. II 1 p. 1—45.
Dietsch. comm. 1 Sall. ed. mai. praemiss. Lips. 1859.
Kuhlmann de Sall. codice Parisino 500. Oldenburg 1880. p. 1.

[2]) Quae ad vitam scriptoris spectant et quae iam a Dietschio suo loco magna ex parte congesta, nisi verba non laudant, cum specialibus (sit venia verbo!) testimoniis, quae grammatici sunt argumenti, hic videntur praetermittenda.

[3]) cf. praeter ceteros M. Hertz comm. de Ammiani Marcellini studiis Sallustianis. Ind. schol. Vratisl. 1874.
de Tacito Woelfflin Philol. XXVI p. 121.
Eussner exercitationes Sallustianae Wirceburgi 1868 p. 37.
Teuffel Sall. u. Tac.
Laureck de Sall. ingenio, arte rationeque dicendi Ahrweiler 1873 p. 31.
de Curtio Rufo Wiedemann Philol. XXXI p. 756.
de Floro Heyn de Floro historico Bonnae 1866 p. 49.
de Hegesippo Fr. Vogel ὁμοιότητες Sallustianae in act. semin. philol. Erlang. 1878 I p. 348 et diss. 1880.
de L. Septimio et Sulp. Severo Pratje quaestiones Sall. Gottingae 1874.
de Augustino Roth N. Rhein. Mus. IX p. 630 et al.

scamus et cognationem statuamus. Scriptorem quendam secutum esse Sallustium eiusque imitationem dilucide manifestari modo conspicuo sententiarum quarundam concentu doceri oportet modo dictionis proprietatibus utrique communibus. Quodsi nonnulla invenias, quae extant quidem apud Sallustium, sed in aliis quoque rerum scriptoribus deprehendi possunt, nihilo secius, cum eum, de quo agitur, Sallustii exemplo oboedivisse probatum sit, hunc auctoris nostri studiosum fuisse nihil impediet, quominus arbitremur.

Quamquam omnibus eorum, quae praecedunt, saeculorum editionibus et libris perlustratis nonnunquam locos a viris doctis iam fuisse collatos haud ignoro, tamen, quicunque primus imitationem respexit, appellare singillatimque locos hos similes consignare non conabor, quippe cum non egens consilio atque auxilio cuiusquam nisi interdum indice Dietschiano neque ex alieno pendens arbitrio, num quid Trogus a Sallustio mutuatus esset, ipse sim percontatus et illorum numerum mirum quantum auxerim, ut nihil mihi sit periculi

Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.

A. Veterum iudicia.

Justin. XXXVIII 3, 11: Trogus . . . in Livio et in Sallustio reprehendit, quod contiones directas pro sua oratione operi suo inserendo historiae modum excesserint.

Senec. suasor. VI 21 (ed. Kiessl.): Quotiens magni alicuius uiri mors ab historicis narrata est, toties fere consummatio totius uitae et quasi funebris laudatio redditur. hoc semel aut iterum a Thucydide factum, item in paucissimis personis usurpatum a Sallustio, T. Liuius benignius omnibus magnis uiris praestitit; sequentes historici multo id effusius fecerunt.

— excerpt. controv. III praef. 8 (p. 243, 22): orationes Sallustii in honorem historiarum leguntur.

— controvers. IX 24, 13 sqq. (p. 398, 16): Do, inquit, operam, ut cum optimis sententiis certem, nec illas corrumpere conor, sed uincere. Tunc deinde retulit aliquam Thucydidis sententiam: δειναὶ γὰρ αἱ εὐπραξίαι συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα, deinde Sallustianam: res secundae mire sunt uitiis optentui. cum sit praecipua in Thucydide uirtus breuitas, hac eum Sallustius uicit et in suis illum castris cecidit; nam in sententia Graeca tam breui habes quae saluo sensu detrahas: deme uel συγκρύψαι uel συσκιάσαι, deme ἑκάστων: constabit sensus, etiamsi non aeque comptus, aeque tamen integer. at ex Sallustii sententia nihil demi sine detrimento sensus potest. T. autem Liuius tam iniquus Sallustio fuit, ut hanc ipsam sententiam et tamquam translatam et tamquam corruptam dum transfertur obiceret Sallustio. nec hoc amore Thucydidis facit, ut illum praeferat, sed laudat quem non timet et facilius putat posse a se Sallustium uinci, si ante a Thucydide uincatur.

— exc. contr. IX 1 (p. 449, 4): Multa oratores, historici, poetae Romani a Graecis dicta non subripuerunt, sed prouocauerunt. Thucydidis . . . Sallustius etc.

Vell. Paterc. II 36, 2: iam paene supervacaneum videri potest eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat diremptos gradibus aetatis floruisse hoc tempore . . . . . aemulumque Thucydidis Sallustium?

Senec. epist. moral. XIX 5 (114), 16: Sic Sallustio vigente amputatae sententiae et verba ante exspectatum cadentia et obscura brevitas fuere pro cultu.

— ib. 18: Quae apud Sallustium rara fuerunt . . . in haec incidebat, at Arruntius illa quaerebat. Vides autem quid sequatur, ubi alicui vitium pro exemplo est.

Stat. silv. IV 7, 53: Sed tuas artes puer ante discat,
Omne quis mundi senium remensus
Orsa Sallusti brevis et Timaei
Reddis alumnum.

Martial. epigr. l. XIV 191: Sallustius.
Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Crispus in historia.

Quintil. II 5, 19 (ed. Bonnell): Ego optimos quidem et statim et semper, sed tamen eorum candidissimum quemque et maxime expositum velim, ut Livium a pueris magis quam Sallustium; et hic historiae maior est auctor, ad quem tamen intellegendum iam profectu opus sit.

— III 8, 9: Isocrates - Gorgias. Quos secutus videlicet C. Sallustius in bello Jugurthino et Catilinae nihil ad historiam pertinentibus principiis orsus est.

— IV 2, 45: vitanda est etiam illa Sallustiana, quamquam in ipso virtutis locum obtinet, brevitas et abruptum sermonis genus, quod otiosum fortasse lectorem minus fallat, audiendum transvolat nec dum repetatur exspectat.

— VIII 3, 29: Nec minus noto Sallustius epigrammate incessitur:
Et verba antiqui multum furate Catonis,
Crispe, Jugurthinae conditor historiae.

— ib. 44: ductare exercitus et patrare bella apud Sallustium dicta sancte et antique ridentibus, si dis placet.

— ib. 82: Ac merito laudatur brevitas integra; sed ea minus praestat, quotiens nihil dicit, nisi quod necesse est, est vero pulcherrima, cum plura paucis complectitur: quale Sallustii est: Mithridates corpore ingenti, proinde armatus.

— VIII 6, 59: circuitum quendam eloquendi, qui nonnunquam necessitatem habet, quotiens dictu deformia operit: ut Sallustius: Ad requisita naturae.

— IX 3, 12: ἑτέρωσιν, cui non dissimilis ἐξαλλαγή dicitur; ut apud Sallustium: ‚Neque ea res falsum me habuit‘ et ‚duci probare.‘

— ib. 17: Ex Graeco vero translata vel Sallustii plurima, quale est ‚Vulgus amat fieri.‘

— IX 4, 77: Non minore autem cura vitandum est, quidquid est ἔνρυθμον, quale apud Sallustium: Falso queritur de natura sua.

— X 1, 32: neque illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupa-

tum variis cogitationibus iudicem et saepius ineruditum captanda nobis est.

— ib. 101: At non historia cesserit Graecis, nec opponere Thucydidi Sallustium verear.

— ib. 102: Ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est.

— X 2, 17: qui praecisis conclusionibus obscuri Sallustium atque Thucydidem superant.

— X 3, 7; 8: Sed . . . redeamus ad iudicium et retractemus suspectam facilitatem. Sic scripsisse Sallustium accepimus, et sane manifestus est etiam ex opere ipso labor.

Tacit. annal. III 30: Crispum, equestri ortum loco, C. Sallustius rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit.

Sueton. Div. August. 86 (p. 76, 15 ed. Roth): verbis, quae Crispus Sallustius excerpsit ex Originibus Catonis.

— de gramm. 10 (p. 261, 26): Asinius Pollio in libro, quo Sallustii scripta reprehendit ut nimia priscorum verborum affectatione oblita.

— ib. p. 262, 6: Ateius Philologus coluit familiarissime C. Sallustium et eo defuncto Asinium Pollionem, quos historiam componere aggressos, alterum breviario rerum omnium Romanarum, ex quibus quas vellet eligeret, instruxit — Quo magis miror Asinium credidisse, antiqua eum verba et figuras solitum esse colligere Sallustio — vitet maxime obscuritatem Sallustii et audaciam in translationibus.

— ib. 15 p. 264, 5: Lenaeus — ut Sallustium historicum, quod eum oris probi, animo inverecundo scripsisset acerbissima satyra laceraverit, lastaurum et lurconem et nebulonem popinonemque appellans et vita scriptisque monstrosum, praeterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem.

— reliqu. X p. 300, 15: Sallustius Crispus scriptor historicus.

Cornel. Front. et M. Aurelii imp. epistul. II 13 (p. 36 ed. Naber): Tu mihi de C. Crispo timeo ut umquam gratias agere possis.

— III 11 (p. 48): quod tu gnomas egregie convertisti, hanc quidem, quam hodie accepi, prope perfecti, ut poni in libro Sallustii possit, nec discrepet aut quicquam decedat.

— IV 3 (p. 62): Oratorum post homines natos unus omnium M. Porcius eiusque frequens sectator C. Sallustius.

— V 59 (p. 93): valeant omnes Porcii et Tullii et Crispi.

Frontonis et Antonini imp. epist. II 1 (p. 154): Mitte mihi aliquid quod tibi dissertissimum videatur, quod legam, vel tuum aut Catonis aut Ciceronis aut Sallustii.

— III 6 (p. 107): Figuras etiam, quas Graeci σχήματα vocant, illum historiae, hunc orationi congruentes adhibuisse; Sallustium antithetis honeste compositis usum: ‚alieni adpetens; satis eloquentiae, sapientiae parum'; paronomasia etiam non absurda nec fribola, sed proba et eleganti: simulator ac dissimulator.

— p. 108: Non . . . post illa Sallusti et Tulli de Catilina L. Antoni . . . utus ait putabam ostendere.

Fronton. epist. ad M. Antoninum de eloquentia 3 (p. 149): At ubi Catonis et Sallusti et Tulli tuba exaudita est, trepidant et pavent et fugam frustra meditantur.

Granii Liciniani l. XXXVI (= p. 43 A 18 — B 8 ed. Bonnens. Lips. 1858): Sallusti opus nobis occurrit, sed nos ut instituimus moras et non urgentia omittemus. (nam Sallustium non ut historicum scribunt, sed ut oratorem legendum) nam et tempora reprehendit sua et delicta carpit et convitia ingerit et dat in censum loca montes flumina et hoc genus alia et culpat et conparat disserendo.

Gell. I 15, 13 (ed. Hertz): Eupolidis . . . versus Sallustius noster imitari uolens.

— I 15, 18: nouatori uerborum Sallustio.

— II 27, 2: Demosthenis . . . Haec aemulari uolens Sallustius.

— 3: De utriusque his uerbis Titus Castricius cum iudicaret...

— III 1, 5: usum esse Sallustium circumlocutione quadam poetica (Cat. 11, 3.).

— ib. 6: Sallustium uel subtilissimum breuitatis artificem.

— IV 15, 1: Elegantia orationis Sallustii uerborumque fingendi et nouandi studium cum multa prorsus inuidia fuit, multique non mediocri ingenio uiri conati sunt reprehendere pleraque et obtrectare. In quibus plura inscite aut maligne uellicant. Nonnulla tamen uideri possunt non indigna reprehensione etc.

— IX 14, 26: Ego quoque in Jugurtha Sallustii summae fidei et reuerendae uetustatis libro ‚die' casu patrio scriptum inueni.

— X 20, 10: Sallustius quoque proprietatum in uerbis retinentissimus.

— XVII 18: M. Varro . . . C. Sallustium scriptorem seriae illius et seuerae orationis, in cuius historia notiones censorias fieri atque exerceri uidemus.

— XVIII 4, 2: Nam cum ille (iactator quispiam) se unum et unicum lectorem esse enarratoremque Sallustii diceret neque primum tantam cutem ac speciem sententiarum, sed sanguinem quoque ipsum ac medullam uerborum eius eruere atque inspicere penitus praedicaret . . . 6: priscorum et remotorum uerborum medullas et sanguinem.

Apul. apolog. XCV (p. 105, 19 sqq. (ed. Krueger = p. 589 ed. Oudend.): quamcunque orationem struxerit Avitus, ita illi erit

undique sui perfecte absoluta, ut in illa neque Cato gravitatem requirat . . . nec parsimoniam Sallustius.

Spartian. Hadrian. 16 (script. hist. Augustae ed. Jordan et Eyssenhardt): Hadrianus . . . amovit genus vetustum dicendi. Ciceroni Catonem, Vergilio Ennium, Sallustio Coelium praetulit.

— Sever. 21: hic nihil liberorum reliquit. . . . Jam vero quid de Homero, Demosthene, Vergilio, Crispo . . . loquar? . . . qui quidem divinam Sallustii orationem, qua Micipsa filios ad pacem hortatur, ingravatus morbo misisse filio dicitur maiori.

— Capitolin. Maxim. et Balbin. 7: Denique non nulli quem ad modum Catonem et Caesarem Sallustius comparat ita hos quoque comparandos putarunt.

Vopisc. Aurelian. 2: me contra dicente neminem scriptorum quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum, prodente quin etiam, in quo Livius, in quo Sallustius . . Tacitus . . . Trogus manifestis testibus convincerentur. . . . mendaciorum comites, quos historicae eloquentiae miramur auctores.

— Prob. 1: Certum est quod Sallustius Crispus quodque M. Cato et Gellius historici sententiae modo in litteras rettulerunt omnes omnium virtutes tantas esse, quantas videri eas voluerint eorum ingenia, qui uniuscuiusque facta descripserint.

— ib. 2: et mihi quidem id animi fuit non ut Sallustios, Livios, Tacitos, Trogos atque omnes dissertissimos imitarer viros in vita principum et temporibus disserendis.

— Firm. 6: cum et Livius et Sallustius taceant res leves de his, quorum vitam arripuerunt.

Marii Plotii Sacerdot. art. grtc. I (grtc. lat. VI p. 457, 31 ed. Keil): tertium anacoluthon est cum oratio, in quae et ‚quamquam' et ‚tamen' necessarii sint duo verba, nullum habeat, ut ‚Marco Lepido cum omnibus copiis Italia pulso segnior.'

— p. 470, 13: exoche secunda est, cum duo nomina specialia ponuntur et sic eminens oratio ad generale nomen ascendit, ut est ‚probitatem, industriam ceterasque bonas artes.'

— p. 470, 16: exoche tertia — uno tantum modo addito nomine speciali ante generalem appellationem, ut est ‚Hipponem, Adrumetum, Leptin ceterasque civitates.'

Lactant. instit. div. lib. II 12 (p. 101 bibl. patr. eccles. lat. ed. Gersdorf): — hominem nequam Sallustium, qui ait: sed nostra omnis vis etc. Recte, si ita vixisset, ut locutus est. Servivit enim foedissimis voluptatibus suamque ipse sententiam vitae pravitate dissolvit.

— III 29 p. 167: — fortuna humanarum rerum regimen obtineat. Cui opinioni assensit et [Sallustius] historicus, qui ait: sed profecto fortuna etc.

Porphyr. comm. in Horat. serm. I 1, 101 (p. 188, 30 ed. Meyer): Sallustius Crispus historiarum scriptor.

— I 10, 9 (p. 237, 23): eloquentiae virtus non tantum in eo est, ut pauca copiose, sed etiam ut breviter multa dicantur. sic et Marcus Cato . . . Sallustius laudatur paucis absolvisse.

Marii Victorin. art. grtc. l. III (VI p. 126, 21 K.): Non supersederim etiam Sallustiano, qui profluit ex pentametro heroo ‚falso queritur etc.'

Diomedis art. grtc. II (I p. 468, 12 K.) Sallustium quoque in principio Iugurthae a rythmo coepisse.

Avien. or. maritim. 32 sqq: . . . . . . Maeotici
Situs quis esset aequoris. Sallustium
Noram id dedisse, dicta et eius omnibus
Praeiudicatae auctoritatis ducier
Non abnuebam. ad eius igitur inclitam
Descriptionem, quo locorum formulam
Imaginemque expressor efficax stili
Et veritatis paene in obtutus dedit
Lepore linguae multa rerum iunximus
Ex plurimorum sumpta commentariis.

Ausonius protrept. de studio iuvenili idyll. IV 62 nepoti Sallustium commendat hisce verbis:
Iam facinus, Catilina, tuum, Lepidique tumultum,
Ab Lepido et Catulo iam res et tempora Romae
Orsus, bissenos seriem connecto per annos.
Iam lego civili mistum Mavorte duellum,
Movit quod socio Sertorius exul Ibero.
Nec rudis hoc avus admoneo, sed mille docendo
Ingenia expertus etc.

Symmach. epist. I 25 (ed. Parei): imitabor Sallustiani testimonii castigationem.

— IV 24: in monumentis Sallustianis.

— V 68: recuso sententiam, quae rem venaticam servile ducit officium. Statuerit hoc scriptor stilo tantum probandus, nam morum eius damna non sinunt, ut ab illo agendae vitae petatur auctoritas.

Serv. comm. in Donat. (V p. 447, 17 K.): cacenphaton in sensu, in quo reprehenditur Sallustius.

— comm. in Verg. Aen. I 6: Cato in originibus hoc dicit, cuius auctoritatem Sallustius sequitur in bello Catilinae.

— ib. X 105: . . . . . . bene sententiae dicendae ordinem servat. Nam sicut et in Sallustio . . . legimus, antequam dicatur sententia, eius praemittitur ratio.

Hieronym. ad Heliodor. epitaph. Nepotiani D 55 (I p. 26 ed. Erasm.): Neque enim historiam proposui scribere, sed nostras

breviter flere miserias. Alioquin ad haec merito explicanda et Thucydides et Sallustius muti sint.

— de situ et nominibus locorum Hebraic. (opp. III 1 p. 202 ed. Vallars.): Porro Sallustius auctor certissimus asserit tam Tigris quam Euphratis in Armenia fontes demonstrari.

— comm. in ecclesiasten cap. V (III 1 p. 430): sententia nobilis historici, quod avaritia neque inopia neque copia minuatur.

Augustin. de beata vita l. I (opp. t. I p. 197ᵃ D ed. theolog. Lovaniens. Lugd. 1664): Quamvis enim Sallustius lectissimus pensator verborum, egestati opposuit opulentiam, tamen accipio istam plenitudinem.

— ad Marcellin. ep. 5 (vol. I t. II p. 7ᵇ C): in libro etiam belli Catilinae ante adventum utique Christi idem nobilissimus historicus eorum non tacet.

— ad Hieronym. ep. 29 (vol. I t. II p. 35ᵇ B): Quamquam et apud illos Romanae linguae dissertissimus dixerit ‚neque illi tamen ad cavendum dolus, at astutia deerant' astutiam ponens in bono.

— de civit. dei I cap. 5 (vol. III p. 7ᵃ C): sicut scribit Sallustius nobilitate veritatis historicus.

— ib. II 21 (p. 73ᵇ A): Sed si contemnitur, qui Romanam rem publicam pessimam ac flagitiosissimam dixit, nec curant isti, quanta ... impleatur, sed ...

— ib. III 17 (p. 103ᵇ A): Sallustius ... ad honestam libertatem pertinere arbitrati sunt, mala civitatis propriae non tacere, quam multis locis magno praeconio laudare compulsi sunt.

Macrob. saturnal. III 13, 7—9: ipsa de eo (sc. Metello Pio) Sallustii verba subieci: ac Metellus etc. (= fr. h. II 23 ed. Dietsch). haec Sallustius gravissimus alienae luxuriae obiurgatur et censor.

— V 1, 7: sunt genera dicendi: — breve, in quo Sallustius regnat.

Sollii Sidon. Apollinaris carm. II 190 (p. 18 ed. Savar. Claromont. Paris 1569): Qua Crispus brevitate placet.

— carm. XXIII 151 (p. 186):

Et te qui brevitate Crispi polles?

Pompeii comment. art. Donati (V p. 294, 13 K.): macrologia est, quotiens et verba superfluunt et sensus: ‚legati non inpetrata pace retro, unde venerant, domum regressi sunt.'

Rufini comm. de numeris orat. (VI p. 575, 17 K.): Pompeius Messalinus ... de Sallustiana compositione sive de numero et structura: Nunc, si videtur, Sallustianae periodi numeros inspiciamus: res populi Romani Marco Lepido ...

Lydi *περὶ ἀρχῶν τῆς Ῥωμαίων πολιτείας* (p. 119, 15 ed. Bekker): *μεθ' οὓς Σαλούστιος οὗτος ὁ ἱστορικὸς ἐπὶ τῆς πρώτης ἱστορίας σαφῶς ἀναδιδάσκει.*

Isidor. orig. l. I 43, 4: Salustius ex historialibus ... constant. — XIII 21, 10: Salustius autem auctor certissimus, ita asserit. Ioannis Antiocheni frg. 68 (IV p. 562 frgt. hist. gr. ed. Mueller): *καὶ ὀρθῶς γε Σαλούστιος ὁ Ῥωμαῖος συγγραφεὺς ἔφη κτλ.*

B. Imitatores.

I. Cn. Pompeius Trogus[1].

Ex Augusti aetatis scriptoribus rerum Romanis, quorum opera ad nos pervenerunt, primum in censum venire posse Pompeium Trogum facile apparebit. Nam de eius vita et quis fuerit licet certa nobis non allata sint, tamen in tempora, quibus vixit, ex Iustini epitomatoris l. XLIII 5, 11 sqq. certe concludi potest, qui avum eius in bello Sertoriano civitatem a Cn. Pompeio percepisse tradit et patrem sub C. Caesare militasse (vid. Philolog. VII p. 389 sqq.) epistularumque et legationum, simul et anuli curam habuisse.

Non meum esse potest fines Trogi vitae accurate constituere omnesque illas inter se discrepantes sententias[2]) virorum doctorum[3]) hic perpendere, quorum alii iisdem temporibus atque Christum Salvatorem Trogum floruisse indicant, alii iam ante natum Christum diem obiisse supremum, alii (Martinus Polonus et Gualterus Burleus) tempore Antonini Pii Iustini praeceptoris munere esse functum, quam quidem extremam opinionem plane a vero abhorrere Trogi ipsius illa verba a Iustino laudata demonstrant et, quae mox afferre mihi in animo est, — hoc unum, quod ad ea, quae mihi proposui, explenda abunde sufficit, omni caret dubitatione, quod Octaviani temporibus floruisse et scripsisse Pompeium Trogum necesse est arbitremur, cum epitom. l. XLII 5, 11

¹) De nomine sic scribendo cf. I. Becker in Philologi vol. VII p. 389 sqq.
²) einfach mittelalterliche Hirngespinste (Franz Rühl die Verbreitung des Iustin im Mittelalter Leipzig 1871 p. 46).
³) cf. Fabricii bibl. lat. III 3 p. 58 sqq.
Funccii de vegeta Latinae linguae senectute Marburgi Cattor. 1744. p. 691.

expeditio Caesaris Augusti in Parthos narretur, qua comperta illorum rex Phrahates, ut depelleret instans periculum, statim captivos signaque militaria Crassi et Antonii exercituum devictorum datis insuper obsidibus imperatori remisit, quod a. 20 ante Chr. nat. factum esse satis constat. Aliquid porro rationis Trogum cum Vergilio poeta habuisse verisimile fit e fragm. 53[1]), quod apud Serv. ad Aen. VI 782: ‚Animos aequabit Olympo' extat, de quo loco et Trogus et Probus quaesivisse dicuntur. Neque enim dubito, quin Trogus l. XLIII in tractandis initiis imperii Romani Romaeque totius orbis capitis origine ad ea spectaverit, quae poeta de urbis magnitudine vaticinatus est. Ediderunt autem Aeneida Varius et Tucca iussu Caesaris post obitum Vergilii a. 19 Cn. Sentio Q. Lucretio coss.[2]), quem ante annum Trogo Vergilii opus innotuisse non est cur credamus. In tempus multo inferius tandem Pompeii historias Philippicas confectas ut transferamus adducimur ex Iust. l. XLII 4, 16: ‚sed fatum Parthiae fecit, in qua iam quasi sollemne est reges parricidas haberi, ut sceleratissimus omnium, et ipse Phrahates nomine, rex statueretur', quod dicere scriptor non poterat, nisi Orode I per Phrahaten (IV) filium a. 36 interfecto necem huic per Phrahatacis filii scelus illatam[3]) etiam in animo habuisset. Quocum mirum in modum congruit Matthaeus Westmonasteriensis[4]), qui: anno divinae, ait, incarnationis nono Caesare Augusto imperii sui quinquagesimum primum agente annum Trogus Pompeius chronica sua terminavit, in quibus ... ab initio ... usque ad praesens tempus prosequitur. Huius enim notationis fontem apud Suetonium extitisse coniectura eaque levissima iudicavit Gutschmidius, Reifferscheidius (Suet reliqu. p. 383) ex antiquissimo Iustini codice emanasse suo iure contendit. Quamobrem l. XLI 1, 1: ‚Parthi, penes quos velut divisione orbis cum Romanis facta nunc orientis imperium est' Iustino epitomatori attribuendae (Ruehl p. 36) causam non video, cum contra rerum condicionem Trogi temporis non repugnet.

Unum locum, qui te offendere possit, l. XLI 5, 8: ‚Parthi omnes reges suos hoc nomine (Arsacis), sicuti Romani Caesares Augustos-

---

[1]) Pompeii Trogi fragmenta ed. Aug. Bielowski Leopoli 1853.

[2]) cf. Vergilii vitam de comm. Donati sublatam in Suetonii reliqu. a Reifferscheidio edit. Lips. 1860 p. 63.

[3]) vel a. 4 p. Chr. cf. Vaillant Arsacidarum imperium sive regum Parthorum historia. Parisiis 1728. I p. 184.
C. Fr. Richter histor.-krit. Versuch über die Arsaciden- und Sassaniden-Dynastie. Leipzig 1804. p. 86.
vel a. 9 p. Chr. cf. A. v. Gutschmid Jahrb. f. Phil. herausg. v. Fleckeisen. Suppl. II Leipz. 1856 p. 261. Separatim quoque eodem anno apud Teubnerum Lips. haec commentatio prelum subiit.

[4]) Flores historiarum Londinii 1570 I p. 81.

que cognominavere', quia, quod iam dictum fuit, inepte repetit, additamentum marginale textui immixtum putans, infitiatus est Rupertus in epist. XL ad Reinesium.

Quae cum ita sint, Pompeius Trogus, etiamsi ante Sallustii mortem eum iam natum fuisse concedendum est, consilium tamen operum suorum componendorum adulta demum aetate aliquanto post inire potuerit, quam Sallustii opera scripta editaque sunt, nisi forte scribendi exordio ante a. 43 vel 42 capto — his enim annis post Caesarem mortuum primum Sallustii opus, Catilinae coniurationem, (cf. Cat. 4, 2) evulgatum esse ex eiusd. cap. 53, 6 et 54, 1—4 elucet — per ingens temporis spatium historiis Philippicis operam studiumque contulisse existimatur, quod verisimile non est. Itaque Trogus cum a. 9 p. Chr. n. historias suas absolvisse putandus sit, quin Sallustii operibus perpolitis iam atque confectis post a. 38[1]) sua conscribere instituerit, dubitare non possumus, quamobrem eius quoque iis scriptoribus, quos Sallustii librorum studiosos fuisse contendimus, annumerandi non immerito potestatem habemus.

Magnopere autem est nobis dolendum, quod historiae eius Philippicae per multa volumina diffusae exili tantummodo atque ieiuna epitome a Iustino circumscriptae extant, qua tam contractae decurtataeque sunt quam mutilatae. Quam pauca retinuissent Iustini excerpta, iam senserunt Heeren[2]), Wolffgarten[3]), Borchardt[4]), quorum ille vir illustrissimus magna auctoritate hoc edidit indicium: ‚Patet ex ipsis scriptoris verbis[5]) eum non omne opus Trogi in epitomen redigere nec compendium historiae universae conficere, sed anthologiam potius historicam ex magno opere Trogi collectam exhibere voluisse.' Modo narrationes copiose et ornate confecit modo breviter admodum et ieiune exposuit.

Aegre igitur solvenda est quaestio, qua ratione Trogus Sallustii studiosus fuerit, cum certa eius operis fragmenta una

---

[1]) cf. Linker l. l. p. 82.
Kritzii epist. critic. ad Wuestemannum in eiusd. Sall. histor. fragm. edit. Lips. 1853 p. XIV squ.
Hagen Untersuchungen über röm. Geschichte. I Catilina Königsberg 1854 p. 6.

[2]) in calce commentationis alterius de Trogi Pompeii eiusque epitomatoris Iustini fontibus et auctoritate. Comm. reg. soc. scient. Gotting. vol. XV 1802. Quam iterum typis excussam Frotscherus ed. Iust. ex rec. Gronovii praemisit. Lips. 1827. vol I p. XLV—XCVII.

[3]) Hilarius W.: de Ephori et Dinonis historiis a Trogo Pompeio expressis. comm. Bonnae 1868 p. 1 sqq.

[4]) Fridericus B.: quaestiones Iustinianae diss. Gryphisw. 1875 p 3 sqq.

[5]) cf. praef. 4: cognitione quaeque dignissima excerpsi et omissis his, quae nec cognoscendi voluptate iucunda nec exemplo erant necessaria, breve veluti florum corpusculum feci.

oratione quadam excepta, quae scriptoris ipsissima verba praebeant loquendique usum atque sermonis proprietates explanent, nobis non remanserint. Verum, ut opinor, etiamnunc in Iustini epitome non mediocres atque paucas Trogi ipsius reliquias superstites habemus; nam interdum ibi pleniores narrationes te invenire licet, quae a Iustino tam copiose nequeunt amplificatae esse, cum multa alia ad rerum gestarum ordinem perspiciendum ac recte tenendum maxime necessaria non modo non breviter contraxerit, sed etiam omnino omiserit[1]), quare habeo persuasum, in illis integram Trogi narrationem apparere. Atque iam Borchardtio innitenti prologis historiarum Philippicarum, qui singulorum earum librorum argumenta breviter edocent — et non in Iustinum, sed in Trogum scripti sunt, in quibus non sint pauca, quae in Iustino frustra indages — ex Trogi consuetudine inde collecta rerum uniuscuiusque populi historia comprehendendi, qua et gentium situm, vitam, mores et item regum atque imperatorum ingenii animique indolem paucis expositam praemittere solebat et terras describebat atque regiones, in Iustini excerptis multa fragmenta mutua sumpta extare visa sunt, ut ipsi Trogo ea vindicanda putaret (cf. l. l. p. 13 sqq.), quamquam Trogum auctorem non fecerit Iustinus.

At, ut hoc concesso res ita se habeat, locos illos quamvis Trogi proprios et suos a Iustino epitomae insertos huius dicendi genere et elocutionibus posse imbutos esse, quis est qui neget? De loquendi autem ratione magna cum intercedat interdum similitudo[2]) inter Iustinum Trogique, quam supra commemoravi, orationem, ea quae huius sunt de illo eximere nimii negotii non sit. Ubicunque enim apud Iustinum eadem atque in oratione Trogi verborum constructio, idem sermonis genus, eaedem insolitae voces animadvertuntur, haec omnia quominus Trogi esse pro certo dicamus non est quod obstat. Compluribus vero aliis locis Iustinum eiusque additamenta facile internoscas. De Iustini enim elocutione iam multa et a multis[3]) dicta sunt; Trogum,

---

[1]) Pauca ut afferam exempla, primo libro urbium Aeolicarum et Ionicarum situs originesque Lydorum et in Italia Tuscorum, tum Aegypti origines urbium, altero Thessaliae origines, tertio Peloponnensium plane praeteriit; alia tibi prologos et epitomen percurrenti facillime obviam fient. Quanta transierit Iustinus praeterea ex impari longitudine condicioneque librorum cognoscere potes, quorum XI et XII uno et triginta capitibus rerum ab Alexandro gestarum historiam complectuntur, cum XXXIII et XXXV de bello Macedonico proximo atque Macedonia in provinciae formam redacta et de Demetrio Sotere eiusque victore occiso binis capitibus conscripti sint.

[2]) cf. Friderici Fischer de elocutione Iustini diss. inaug. Halis Sax. 1868 p. 64 et quae praecedunt.

[3]) Iis quos supra p. 17 commemoravi addo Recke Ueber die Spracheigenthümlichkeiten des Iustin. Progr. Muelhausen 1854.

quomodo locutus sit, unus Fischerus (l. l. p. 62) licet appendicis loco tamen non neglexit[1]), in quem postea revertar. Quae igitur Borchardtius Trogo esse assignanda existimavit, in coniectura sola, quantum equidem video, posita nullis argumentis stabilibus firmantur. Sunt quibus adstipulari possis, verum etiam quae refellenda videantur. Non recte igitur egit, qui sententiis modo inductus haec et haec Iustini verba a Trogo originem accepisse censeat, non ad id, quod in oratione eius eximium insit, respectum habens. Verum etiam stili ut ita dicam rationem esse ducendam, non tantum rerum in prolegorum argumentis enuntiatarum, quomodo apud Iustinum quoque effusae sint, in disquisitionem, qua ille eruatur, venire opus esse, hoc omnibus probabitur.

Longius abirem, si ipse Trogum a Iustini verbis secernere cuperem, quippe qui disserere cogitem de amborum ac primum quidem illius studiis Sallustianis. Ad quod si me conferrem atque converterem, materia rerum copiaque uberrima ad commentationem ampliorem fieret.

Hac de causa ex illa, quam plane a Trogo solo originem accepisse Iustini testimonio confirmatur, oratione studiis illius Sallustianis excussis si una cum Iustino absconditum Trogum examinemus.

Ad haec Trogi fragmenta, quae Iustini excerptis continentur, addendi sunt loci, quos et alii rerum scriptores, ubi eadem atque Trogus enarrant, ex eius libris se suis intexuisse profitentur et grammatici atque commentatores laudant. In quibus non dissimulant Trogi nomen, valent eadem, quae supra iam de iis, quos Iustinus complectitur, locutus sum. Quod ad numerum horum fragmentorum attinet, me Gutschmidii subtili atque accurata disputatione uti eamque pro fundamento quaestioni a me institutae ponere posse gaudeo, qui ingenii acumine Trogi propria quae creduntur a scriptorum posterioris temporis operibus seiuncta minutatim introspexit cognovitque, quaenam merito attribuenda Trogo, quae Iustino sint epitomatori, et eo, ubi consistere possis, rem perduxit. Hoc Trogi fragmentorum genus a minime certis auctoribus vulgatum neque conspicuum tertio vel postremo, si sic dispertire licitum mihi concessumque est, adhiberi a me Trogi studia Sallustiana exquisituro oportet. Forsitan quispiam dixerit, quid sit causae, cur ea tantopere derelinquam! Apud Iustinum, cum non modo in singulis verbis formulisque loquendi construendis, sed etiam in orationis forma interdum et sententiis ipsis non

[1]) Quod L. E. Hallbergii librum de Trogo Pompeio Paris. 1869 in bibliothecis nostris non reperi magnopere doleo; Rozsekii quoque commentationem de latinitatis Iustinianae natura Hermannstadt 1865 nancisci non potui.

pauca exhibeantur, quae ab eleganti eximioque sermone classicorum qui vocantur scriptorum, quibus Trogus[1]) annumeratur, longe recedant, huius vestigia, si orationem saepius iam commemoratam in contentionis iudicium vocaveris, non nimia opera erui poterunt, quod Trogum, ab eius dicendi consuetudine non plane discedens, potius inhaerens verbis atque sententiis, secutus suas adiunxit proprietates. Trogi vero, quas nunc video, reliquias, quarum aliae in veteribus Latinitatis scriptoribus extant, aliae a mediae aetatis scriptoribus Italicis et Brittanicis praeberi putantur, nonnullas et in libris Polonorum chronicis et in codicibus manuscriptis bibliothecae Ossolinianae Bielowski se detexisse sibi persuasit, paene anxia cum diligentia et considerate in censum venire patiemur, ne quid, quod scriptorum ipsorum sit, Trogo vel Iustino adiudicemus. Huc accedit, quod tales sunt, ut res modo spectent et dicendi genus a Trogo vel Iustino usurpatum aspernantes sua ipsorum lingua et ea quidem inculta atque vocibus barbaris inquinata, quae a Trogi aetatisque eius puritate atque elegantia linguae abhorret, utantur, id quod quale sit interpreter non oportet.

Haec omnia paucis praefatus sum, quod magni infra ea fore momenti puto et proferendum est, quomodo quae animo intendo paraturus sim; iam ad instituta ipsa pergamus.

Unum, quod Trogi ipsius dictionem oculis subiicit atque evidenter nobis indicat, ideoque gravissimum fragmentum unde quaestio nostra de studiis illius Sallustianis proficisci debet, est

oratio Mithridatis[2]),

qua facit eum scriptor usum ad copias in contionem convocatas, cum bella cum Romanis rex suscepturus esset. Quam leviter transiens ac tantummodo perstringens, postquam Mithridatis epistulae apud Sallustium[3]) ad Arsacen, Parthorum regem, missae cognitionem cepisti, quasdam orationis similitudines cum epistula ilico conspicies, quae, quo acrius ambas contemplatus eris atque contenderis, eo magis augebuntur. Non temere igitur, ut opinamur, Trogum Sallustiumque inter se coniunctos esse statuimus et illum huic studuisse. Sic enim intellectam volo scriptorum vicinitatem, non, quod poterat, ad fontem utrique communem relatam. Quod in iis, quae sequuntur, demonstrabo. Isto modo rem sese habere cum mihi in opinionem venerit ad eamque confirmandam, ut, quae fore e·.spicatus sim, ea vere dicta videantur,

---

[1]) cf. Bernhardy Röm. Litgesch.[3] p. 613.
Teuffel Röm. Litgesch.[3] § 258 p. 557.

[2]) Iust. l. XXXVIII c. 4—7.

[3]) Sall. histor. l. IV frgt. 19 (ed. Kritz) — l. IV frgt. 61 (ed. Dietsch).

tum aggressus coniecturae vel ab aliis fidem non abrogari atque adeo fieri cognoverim: utrum laetitiam voluptatemque maiorem inde perceperim an iniquiore tulerim animo, quod nulla re nova exprompta vestigia virorum doctorum a me premi me fugerit, non habeo quod dicam.

Quorum in numero primum verba Bongarsii addo, qui in commentario ad Iust. l. I 1, 1 sic scripsit: ‚— Sallustii, cuius studiosum fuisse Iustinum aut Trogum ipsum et hic locus et alii satis indicant'. De oratione autem nostra Gutschmidius in commentatione iam super laudata (p. 189) profitetur: Auf die Färbung einzelner Stellen der Rede mag übrigens auch der Brief des Mithridates an Arsaces bei Sallustius Einfluss gehabt haben; man vergleiche etc., quo dicto nonnullos inter se componit locos. Wassii verba, quae in annotationibus[1]) in Sallustium, si occasio tulerit, proposuit, paullo infra sequentur (cf. p. 90).

Haec certe sufficient, ut ad exquirendas similitudines progredi audeam, quas intercedere et equidem sensi et quod alii iam antea noverint gratulor. Quamquam re quidem orationem et epistulam non plane concinere ex rerum condicione consentaneum videtur, ratio tamen orationis eadem est atque epistulae et consilia Mithridatis in ambabus prolata nequaquam sunt diversa et imparia.

Primum revocemus in memoriam et computemus, quae in tempora Sallustius epistulam imponat quomodoque ea enarret, quatenus continuationem seriemque rerum e paucis fragmentis nos cognoscere licet.

Mithridates, Ponti rex, dirimens pacem paulo ante conciliatam, Romanos Nicomedis tertii, Bithynorum regis, testamento a. 75 a. Chr. n. heredes scriptos aggressus erat, quorum proxima vicinia ei metum iniecisset, ob quem filio Nysa orto, qui falsus neque legitimus vulgo convincebatur, statim post patrem defunctum faverat (Sall. h. II 48. IV 61, 9. ed. Dietsch). Adversus eum in Pontum L. Licinius Lucullus et M. Aurelius Cotta alter consul cum classe in Propontidem missi sunt. Tam prospera autem belli fortuna initio Mithridates usus est, ut Bithynia plane occupata Cottae exiguas copias atque naves intra Chalcedonis muros et portum perfugere cogeret, ubi obsedit (II 50. 52. 53). Eodem cum Lucullus profectus esset, ubi viribus omnibus Romanorum collatis, non in aspero atque invio agro Pontico longius sito de summa rerum in belli eventum decerneret, rex obsidione desistens Cyzicum cum copiis se convertit (III 13—15), ut urbe expugnata totam invaderet Asiam. Sed dum perseverans in oppugnatione urbis

[1]) Quas cum aliis adiecit Sigbertus Havercampius Sallustii suae editioni. Amstelodami, Utraiecti, Hagae Comitis 1742.

circa muros haeret, ipse per Lucullum a tergo operibus clausus (III 17) omnique commeatu privatus est, quá ex re tam vehemens pestis in exercitu saevire coepit, ut amisso ingenti militum numero, cum navali quoque proelio Lucullus duces regis oppressisset, rebus infectis discedere cogeretur (III 16. 18—29). Post Mithridatis a Cyzico fugam classe regia a Lucullo, qui in Troadem persequebatur (III 39. 40), prope Lemnum insulam victa (III 30) rex in regnum paternum fugatus est, inter quae Cotta legatique eius bellum Bithyniae intulerant. Mithridatem, postquam prostratus ingentibus cladibus ad internecionem pervenit, cum acrius coepisset impugnare, ut illatas sibi a Romanis iniurias propulsaret, res iniquae exegerunt. Lucullus, qui hostes petere pergebat, auctumno a. 73 exercitum in regionem Ponticam opulentam neque ab ullo unquam hoste attactam introduxit (III 41—52), unde Mithridates obstinatus bellum arcere defugiens proelia magis magisque penitus in interiora recessit, difficilibus relictis aditibus et commeatu Romanis undique clauso. Quamvis inopia et fame premeretur (III 34), celeriter dux Romanus Halyn transgressus, Amiso (IV 42), Themiscyra (III 49) aliis oppidis frequentibus cinctis insecutus est, quoad itineribus quidem, non conclusionibus hibernum tempus finem imposuit. Ineunte a. 72 vere confestim ad Cabyram exercitum admovit, ubi secundo proelio ingentes copias ex omni regno a Mithridate adductas non modo profligavit, verum etiam confusas dissolvit (IV 44—47). Legionibus Romanis si in officio contenti severitatem ac disciplinam servavissent et praedae aviditatem coercuissent, vix quisquam evasisset et rex ipse sine dubio esset captus. Postquam oppida oppugnata, quamquam pervicaciter resistebant, a. 70 in Romanorum potestatem redacta sunt, Lucullus ingressus regnum Tigranis, Armeniorum regis, qui Mithridati socero nihil aliud quidem nisi receptaculum praebuerat, tamen quominus Appio Claudio imperatoris legato expostulanti traderet recusabat (IV 48), exercitu Euphratem flumen traiecto recta Tigranocerta Armeniae caput contendit (IV 50—53). Quam ad urbem a Lucullo a. 69 reportata victoria, illustrissimum decus inter gloriosas res bellis a Romanis gestas, non magis eximia fuit quam tantum profecit, ut omnium, quibus tunc Tigranes imperabat, regionum possessionem Romani nanciscerentur et omnes Armeniorum copiae deletae essent (IV 50—60). Verum Mithridati perpesso per imperium quinquaginta annorum maximas fortunae vicissitudines generi causa, atrocissima clade apud Tigranocerta accepta, adhuc integra esse neque perdita, in angustiis versari Lucullus videbatur, si bellum eleganter continuaretur et coniungeretur. Ut ipse summae rerum praeficeretur et rem publicam capesseret, ingenio impigro atque acri facile est adeptus. Novos socios, quibus opes reparare posset, acquisiturus Parthos

imprimis irritare cupivit, ad quorum regem epistulam hoc spectantem eum dedisse Sallustius perhibet.

In quod autem tempus longe distans Mithridatis oratio pertinet, cuius exemplum a Pompeio Trogo perscriptum Iustinus epitomae inseruit? Postquam ut prioribus aetatis annis se gesserit Mithridates et consilia augendi regni imperio inito molitus sit, ll. XXXVII et XXXVIII c. 1—3 scriptor prodidit, in extremo cap. 3 de bello contra Romanos iam inchoato disserit, cui Mithridatis orationem ad inflammandos milites annectit, qua copiis excitatis tum primum ,in Romana bella regem descendisse' dicit. Quam in scriptorum discrepantiam, quae ad commentationem meam tractandam multum valet, infra redibo.

Quamquam igitur Sallustius et Pompeius Trogus quod ad tempus pertinet dissentiunt, tamen multis in rebus sermonis, quem supra diximus, mirum in modum consentiunt, etiam saepe paene ad verbum conspirant. Quam ad rem comprobandam conferas locos, qui sequuntur, tam congruos, ut quae contendimus primo obtutu eluceant.

Sall.	Iust.[1])
1: Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere. addas Cat. 17, 5: bellum quam pacem mallent.	4, 1: Optandum sibi fuisse ait, ut de eo liceret consulere, bellumne sit cum Romanis an pax habenda.
2: nisi hostes oportuni[2]) . . . neque petere audeam societatem. 22: latrones gentium obpressisse. cf. Cat. 59, 5.	2: quin vero sit resistendum impugnantibus quippe adversus latronem.
10: me, quem per Nicomedem bello lacessiverunt.	3: an liceat quiescere non tantum animo hostiliter, sed etiam proelio congressis.
11: ultum ego iniurias . . . . Asiamque recepi. 13: Marcum Cottam, Romanum ducem, apud Chalcedona terra fudi, mari exui classe pulcherrima.	4: Romanos vinci posse cognitum . . . sibi.

[1]) Iustini verba laudavi ex Iusti Ieepi editione Lips. 1849.

[2]) Romani sunt oportuni, quia quasi ante portum sunt i. e. vicini et prope instantes impetumque minantes, quemadmodum recte Kritzius h. l. interpretatur.

ob ipsorum interna mala.

17: neque quicquam a principio nisi vi partum habere, domum coniuges, agros inperium?

cf. hist. I 48, 15: cui nihil est domi nisi armis partum aut per iniuriam.

10: per Nicomedem bello lacessiverunt.

11: Atque ego ultus iniurias Nicomedem Bithynia expuli.

5: Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una et ea vetus causa bellandi est, cupido profunda inperi et divitiarum.

15: morem suum omnia regna subvortundi secuti.

17: omniaque non serva et maxume regna hostilia ducant.

8: Eumenem, cuius amicitiam gloriose ostentant, initio providere Antiocho, pacis mercedem, post habitum custodiae agri captivi, sumptibus et contumeliis ex rege miserrumum servorum effecere, simulatoque inpio testamento filium eius Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more per triumphum duxere: Asia ab ipsis obsessa est.

6: Ei subvenientem Antiochum concessisse Asiae per dolum avortere ac mox fracto Philippo An-

11: Iam ipsam Italiam ... nunquam ... satis illi pacatam ...

13: hoc ipso tempore universam Italiam bello Marsico consurrexisse.

14: et gravius vicino Italiae bello quam domesticis principum factionibus urbem premi, multoque periculosius esse Italico civile bellum.

c. 5, 7: quorum nihil est nisi bello quaesitum.

10: Nicomedem praecepto illorum bellum sibi intulisse: quia ultum ierit se, ab ipsis ventum obviam in eo.

c. 6, 1: Quippe non delicta regum illos, sed vires ac maiestatem insequi neque in uno se, sed aliis quoque omnibus hac saepe arte grassatos.

7: omnibus regibus legem odiorum dixisse.

3—4: sic rursus Eumenem, cuius classibus primo in Asiam fuere transiecti, cuius exercitu magis quam suo et magnum Antiochum et Gallos in Asia et mox in Macedonia regem Persen domuerant et ipsum pro hoste habitum eique interdictum Italia, et quod cum ipso deforme sibi putaverant, cum filio eius Aristonico bellum gessisse.

tiochus omni cis Taurum agro et decem milibus talentorum spoliatus est.	
19: Persen deinde, Philippi filium, post multa et varia certamina . . . insomniis occidere.	
5: cupido profunda inperi et divitiarum.	8. luporum animos . . . imperii divitiarumque avidos ac ieiunos habere.
16: ab illis ad praedam peteris.	
17: convenas olim sine patria parentibus, cum peste conditos orbis terrarum.	c. 7, 1: se . . . clariorem illa conluvie convenarum esse.
	c. 6, 8: conditores suos lupae uberibus altos.
4: mihi fortuna . . . usum dedit bene suadendi.	c. 7, 9: quid se duce possit efficere tantus exercitus, quem sine cuiusquam militum auxilio suamet unius opera viderint . . . cepisse.

Istis, quae modo attuli, exemplis haud scio an etiam sit addendum:

18: Namque pauci libertatem, pars magna iustos dominos volunt.	c. 4, 11: pro libertate alios, quosdam etiam pro vice imperii bellis continuis perseverasse.

Quae verba unum atque idem eodem fere modo eloqui videntur, quod in sententiarum ordine plurimum discrepans apparet.

Negari sane nequit, fieri posse, ut illas, quas modo enumeravi, aequalitates et eas quidem sententiarum tantummodo leves et fere nullas aestimes. Quid est, cur scriptores duo non pendentes alter ex altero easdem mentes, eadem consilia, easdem sententias eidem Mithridati attribuant in formis ultro inter se differentibus, praesertim cum tota mente in idem incumbat, ut animos contra hostes accendat et exacerbet, qua in re vituperando, ut assolet, detrahuntur, quo maior animus afflictis copiis vel socio acquirendo addatur, et ut splendida verba culpae suae iniuriisque oblatis praetendat, ne in iure suo se non consistere probet? Prorsus quot quantisque locis Pompeius Trogus cum Sallustio verbis non modo, sed etiam sententiis discrepet si quis respexerit, magnae certe audaciae consilium indicet, cum ab istis proficiscens scriptorum contentionem facere conaturus sim.

Huic autem argumentationi optimo iure id opponere mihi videor, multas et evidentes esse causas, ex quibus disquisitionem susceptam ad effectum perductum iri censeo. Illas enim differentias, quae quidem occurrunt, in tempora, quae supra narrando explicavi, diversa et in scriptorum ipsorum studia operaque referen-

das esse satis verisimile est. Ad quas summovendas sive ad rerum naturam revocandas sufficiet, quod perscrutemur, quaenam sola Pompeius Trogus, quem alterum ante oculos habuisse contendimus, ab hoc petere potuerit, quo facto similitudines illas paucas quidem haud contemnendas extare invenieinus.

Iustum bellum se conflare Mithridates nisi Pompeianus docere non potest, praesertim cum simultates, quas cum Romanis Paphlagonia, Cappadocia, aliis terris occupatis susceptas habebat, verum si quaerimus non modo non in incerto relinquerent, uter vicinorum curans negotia pacem turbaverit, sed Romanis potius in culpam converterentur, id quod ex Appian. Mithridatic. c. 16—18 luculenter apparet[1]). Licet Mithridates Bithynia Cappadociaque ex imperii proferendi cupidine possessa materiam et ansam dissensionum praebuerit, quid causae fuit Romanis, quare adducti precibus Asiae incolarum vexatorum remedia sint polliciti, nisi ut ipsi quoque terras illas aliquando obsiderent? Quid? Nonne Nicomedem et Ariobarzanem restitutos in regna hortati sunt, ut vicinam Mithridatis dicionem incursionibus vexando materiam belli quaererent (*ἀνέπειθον τὴν γῆν τὴν Μιθριδάτου κατατρέχειν καὶ ἐς πόλεμον ἐρεθίζειν ὡς Ῥωμαίων αὐτοῖς πολεμοῦσι συμμαχησόντων* cap. 11 p. 449, 18 ed. Mendelssohn)? Pelopidae regis *ἀδικουμένου* legati querelis tumide et fortiter respondetur, nam *ἔγνωστο ἐκ πολλοῦ τοῖς Ῥωμαίων στρατηγοῖς ἐπικουρεῖν Νικομήδει καὶ ἐς ὑπόκρισιν τῆς ἀντιλογίας ἠχρυῶντο* propter *τὴν τοῦ Μιθριδάτου φιλίαν ἐνσύνθηκον ἔτι οὖσαν* (cap. 14 p. 452, 25). *Ὡς ἐμφανῶς ἤδη πρὸς Ῥωμαίων ἀδικούμενος* (cap. 15 p. 453, 12), cum eos iterum loqui volentes inhibuissent, Mithridates Ariobarzane expulso regno potitus est, quod qui excusabat *φορτικώτερον αὐτὸν εἰπεῖν ἡγούμενοι ἐκέλευον αὐτὸν* (*Πελοπίδαν*) *εὐθὺς ἐξιέναι τοῦ στρατοπέδου* (cap. 16 p. 455, 18). *Ταῦτα εἰπόντες οὐκ ἀναμείναντες περὶ τοσοῦδε πολέμου τὴν βουλὴν ἢ τὸν δῆμον ἐπιγνώμονα γενέσθαι στρατιὰν ἤγειρον* (cap. 17 p. 455, 16). Quae historiae auctorem illum, qui quod aliis in rebus descriptis Romanis nimis faverit incusatur, secundum eos non composuisse, nemo erit quin existimet; immo vero verissime[2]) eum scripsisse probabile est, quibus in capitibus vel ex Romani scriptoris, Livii,

---

[1]) Res ita sese habere Mommsenus quoque hist. Rom.[4] II p. 285 fin. pro certo putat.

[2]) cf. Alex. Dominici de Appiano rerum Romanorum scriptore Graeco comm. Confluentibus 1844 p. 19 sqq.

libris Appianum hausisse Reinhardus Iordan[1]) opinatur. Atqui Iustinus vel Pompeius Trogus, quamquam in prioribus capp. l. XXXVIII animos nostros a Mithridate alienavit, tamen procedente libro facere non potuerit, quin tali rerum gestarum expositione incorrupta fide, qualem apud Appianum legimus, addita in orationem regis ad sollicitandas contra Romanos civitates huic veritatis aliquam speciem imponendam fuisse cognoverit. Qua in re facultatem et sollertiam scriptoris nostri laudare ac probare debemus, qua adversarium ex ipsius iudicio quae facta sunt explicantem induxisse ei bene contigerit. Has autem res quam penitus Trogum praeter ceteros inspexisse putas, quem priorum quidem Mithridatis imperii annorum historiam complexum esse ex Iustini epitome elucet? Quae subesse videntur ei, quod a Trogo solo orationi interpositum est, quod apud Sallustium non extat neque extare potest, cum ut regem cum Romanis iam congressum describeret sibi proposuit. Apud hunc enim agebatur, num Mithridates multis fortunae acerbitatibus acceptis Parthorum regem ad societatem commoveret, quo bellum recollectis viribus de integro exoriretur. Itaque postquam belli originem breviter astrinxit, quomodo adhuc gestum sit, narravit ita illustrans, ut procul abesse non potuisset, quin Parthos societate et foedere sibi adiungeret. Contra pericula autem, quae instare regi Mithridates affirmat, a Trogo praedicanda erat belli condicio facilis et expedita, in qua nimium depingenda non perquam exiguum sapit (cf. cap. 4, 5—16. 7, 6—8.).

Qui scriptores nostros inter se propter hos, quos modo attuli, locos certare praetendit, meminerit hasce discrepantias nunquam prorsus vitari posse ab historico, qui alterius relationem non describere, sed convertere in rem suam sibi proposuerit. Talia nihil valent, dum cetera mira concordia extant. Quae qui neglegens alterum ex altero rerum scriptorem hausisse negat, rationem et modum eorum, qui historias componunt, nescire putandus est.

Ut summarium traditionis Sallustianae Trogum praebere suspicari liceat, eo quoque adducimur, quod nonnulla congrua verba ex oratione epistulaque apponere possumus; sed de iis scrupulos me stimulare ac pungere non nego, ne forti magis quam scriptoris consilio debeantur.

Age vero conferas:

Sall.	Iust.
§ 13: Marcum Cottam... apud Chalcedona fudi terra.	c. 4, 4: qui et in Bithynia Aquilium et Maltinum in Cappadocia fuderint.

[1]) Reinh. Iordan de fontibus Appiani in bellis Mithridaticis enarrandis Gottingae 1872.

4: ego non validissumus praebeo exemplum, quo rectius tua componas.	4, 5: ac si quem aliena magis exempla . . . moveant.
6: Antiochum concessione Asiae . . . avortere.	5, 3: Phrygiam, quam . . . praemium . . . concesserant.
5: Namque Romanis cum nationibus . . . causa bellandi est.	5, 10: et nunc eam secum bellandi illis causam fore, quod.
8: hostium more per triumphum duxere.	6, 6: quin . . . triumphi spectaculum experiretur.

Non minoris haesitationis locus est, num recte putemus non per aliquot capita Trogum e Sallustio pendere, sed totum eum in componenda oratione ante oculos vel in memoria habuisse. Possunt enim illa, quae proferre mihi in animo est, ab acri subtilique iudice non talia accipi, qualibus si quis nitatur satis caute atque diligenter iudicet. Quae ratio conspici potest in his:

Sall.	Iust.
Iug. 102, 12: se non hostili animo . . . arma cepisse.	c. 4, 3: non tantum animo hostiliter . . . congressis.
Cat. 20, 10: victoria in manu nobis est; viget aetas, animus valet.	4, 4: sibi victoriae fiduciam, si sit illis animus,
Iug. 112, 1: sibi . . . cognitum posse condicionibus bellum poni.	vinci posse cognitum non sibi, magis quam ipsis militibus.
Cat. 52, 24: Gallorum gentem infestissumam nomini Romano.	4, 9: Gallorum autem nomen, quod semper Romanos terruit.

Adhaeret sensu praegnanti vocabulo ‚nomen' gloriae claritudinisque significatio, ut apud Sallustium h. l., qui mihi ansam dedit haec dicendi, Iug. 5, 4. 10, 2. 58, 3. al.

Iug. 49, 2: cum iis certamen fore, quos antea victos sub iugum miserint. Cat. 5, 18: genus poenae novom.	4, 12: deletos Romanorum exercitus ferri, a quibusdam novo contumeliae more sub iugum missos.
Iug. 109, 2: quaesitum pacem an bellum agitaturus foret.	5, 2: Non enim quaeri an capiunda sint arma.
Iug. 35, 10: iussus a senatu Italia decedere.	5, 4: Paphlagonia se decedere iusserint.
Iug. 82, 3: victoria ex manibus eriperetur.	5, 7: raptum sibi esse victoriae ius.
Iug. 5, 4: Massinissa, rex Numidarum, in amicitiam receptus a P. Scipione, cui postea Africano cognomen ex virtute	6, 5 Nullius apud eos maiora quam Massinissae, regis Numidarum, haberi merita: huic imputari captum Syphacem, huic

fuit, multa et praeclara rei militaris facinora fecerat, ob quae victis Carthaginiensibus et capto Syphace etc.

Carthaginem deletam; hunc inter duos illos Africanos tertium servatorem urbis referri.

Cat. 19, 5: sed inperia saeva multa antea perpessos.

7, 2: nullam . . . gentium expertam peregrina imperia.

Iug. 13, 1: iniusta inperia dominorum non perferunt.

Iug. 32, 5: eique timido et ex conscientia diffidenti rebus suis.

7, 4: Multoque se timidius ac diffidentius bella Pontica ingressum, cum ipse rudis ac tiro esset.

Iug. 96, 1: rudis antea et ignarus belli.

Sententiam autem nostram ut amplectamur scrupulis exemptis, denique eo potissimum commoveamur, quod Trogum verbis quibusdam, quae Sallustii propriae sunt dictionis, usum esse invenimus; velut

Iug. 68, 1: ultum ire iniurias festinat.

5, 10: quia ultum ierit se.

Ex frequenti apud comicos usu haec verborum motum significantium cum supino structura in orationis solutae sermonem urbanum transiit, ubi prima exhibet exempla M. Portius Cato[1]). Cuius cum aemulatorem Sallustium fuisse inter omnes constet itaque vigeant apud nostrum supina illa, quae conatum studiumque vel voluntatem aliquid faciendi indicant, ut longum sit omnia enumerare exempla[2]), et verbi ulciscendi supinum cum ‚ire' coniunctum primus Sallustius usurpaverit[3]), hinc Pompeii Trogi locum a nobis repeti non est amentiae.

Accedit:

Iug. 72, 1: aliter atque animo gerebat.

c. 5, 5: quin acerbius in dies gerant.

Verbum enim gerendi cum adverbio iunctum omisso pronominis reflexivi accusativo apud neminem scriptorum ante Sallustium reperias, qui vocabulo isto primus sententiam: esse, se gerere, sich benehmen, sich verhalten, auftreten subiecisse videtur. Secundum leges grammaticorum adverbium hic obiecti vice fungitur, quae loquendi consuetudo per Sallustium in usum recepta est, ut

---

[1]) Inter historicos veteres solum Catonem eumque frequentissime illa constructione usum esse docet Gustavus Bruennert de Sallustio imitatore Catonis, Sisennae aliorumque veterum historicorum Romanorum Ienae 1873. p. 10.

[2]) cf. Badstuebner de Sallustii dicendi genere comm. Berlin 1863, qui p. 48 multa congessit.

[3]) cf. Draeger historische Syntax der latein. Sprache Leipzig 1876. II p. 829.

exempla, quae Hercherus[1]) et Anschuetzius[2]) collegerunt, declarant. Num iniuria hanc quoque Trogi dictionem ad Sallustium referendam esse censeo?

Deinde attingit

Sallustium	Iust.
(apud quem circiter sexcenties[3]) reperitur)	c. 7, 9: solus mortalium.

Cum emphasi persaepe vocem ‚mortales' pro ‚homines' Sallustius adhibuit, post quem a Livio quoque et Plinio aliisque usurpata est locutio, quam Gell. XIII 29[4]) indicare videtur nostrum petiisse a Claudio Quadrigario, a Sisenna eius fragmentum ‚Utrumne divi cultu erga se mortalium laetiscant', quod Nonius II de hon. et nov. vet. dict. per litt. p. 91 ed. Gerl. et Roth s. v. laetiscant servavit — frgt. 123 Peteri reliqu. hist. Rom. ed., demonstrare Bruennertus l. l. arbitratur, quod ille non additis ‚multi' et ‚omnes' vocabulis in hoc loquendi more recedente ab usitato Sallustio praeierit. Ad Sallustium autem nonne recte Trogi illud contuli? Tantum abest ut ex istis scriptoribus rerum depromptum sit, quam ad sententiam stabiliendam nihil est praesto, ut Sallustium esse fontem cum e locis iam collatis, tum ex aliis, quas infra apponam, causis moneam.

Quamquam omnibus illis locis argumentisque, quibus postremis usus sum, fidenti animo, quo par est, acquiescere non liceret, nisi a Iustino ipso disertissime planissimeque esset affirmatum Trogum Sallustii operum non fuisse ignarum. Hac ex re demum, quae hucusque exposui, quanta sint quamque vim afferant in docendo, luculenter patet. Quam orationem sc. Mithridatis, inquit epitomator l. XXXVIII 3, 11, dignam duxi, cuius exemplum brevitati huius operis insererem; quam obliquam Pompeius Trogus exposuit, quoniam in Livio et in Sallustio reprehendit, quod contiones directas pro sua oratione operi suo inserendo historiae modum excesserint. Utcunque Trogus de Sallustio iudicaverit (id nihil ad rem!), hoc quidem refelli nequit, quod sententiam libris illius pervolutis et oculis, non auditu compertis habitis dixisse putandus est. Rationes fultae ac sustentae coniecturis et firmis et lubricis erant, quibus adhuc usque e Sallustio fluxisse Pompeium Trogum demonstrare suscepi; nunc vero manifestum

---

[1]) A. Hercher der Akkusativ bei Sallustius Gera 1878 Progr. p. 16.
[2]) Aug. Anschuetz selecta capita de syntaxi Sallustiana Halis 1878 p. 38, 3.
[3]) videas Laws de dicendi genere Sallustii Rössel 1864 p. 8. G. Bruennert l. l. p. 25.
[4]) Metellus in Capitolium venit cum mortalibus multis.

quasi atque grave accessit testimonium Trogum ex Crispi historiis hausisse.

Tota quaestio Sallustiusne fons fuerit, cum non praedicetur, in suspenso prope erat relinquenda, nisi confessio illa omnem nobis dubitationem praecidisset.

Sententiam meam si quis concedet — et nunc debent sane omnes concedere —, id quoque mecum statuet, Mithridatis apud Trogum orationem, quod attinet ad res grammaticas, cum eiusdem apud Sallustium epistula non modo cohaerere, sed etiam congruere. Obliquam Pompeium Trogum orationem exposuisse nobis dicitur, quod contiones directas a Sallustio operi suo insertas historiae modum excedentes non approbaverit. At oratio, quae per quattuor capita non brevia decurrit, ultra modum nonne egreditur? Quod exemplo Sallustiano esse elicitum quid est quod negemus? Adiice autem, quod ille, cui obliquam totam orationem componere placuit, immemor fuit propositi. Sententiae enim de Sallustii Liviique dicendi genere illo ne te quidem assentiri est mihi persuasum. Itaque quasi molestias orationis obliquae, si longius extenditur, statim ipse demonstrare velit, saepius coeptam constructionem neglegit transeundo ad orationem directam ita, ut indicativum pro coniunctivo in enumeratione secundaria ponat, nonnunquam etiam personam primam pro tertia exhibeat atque pronomina primae et tertiae personae inter se permutet[1]). Qui aliter Trogum, quod ab aliis postulabat, ut orationes scriberent obliquas, id ipsum iusta ratione praestare non potuisse nobis intellegendum est, quam ad verba Sallustii nimium sese applicavisse multique fuisse laboris, quae in animo quasi insculpta habebat, eorum memoriam tollere?

Iam vero quaestionem institutam, num oratio, quam Trogus praebuit, ne dicam prorsus, sed imprimis certe Sallustii auctoritati debeatur, cum eo pervenisse arbitrer, ut certum aliquid decerni potuerit, persequamur, quae, quamquam et in verbis et in rebus magna extat inter Trogum et Sallustium similitudo, tamen quominus ad Sallustium sine ulla dubitatione referamus multae res non tam obstant quam dehortantur, ne captatores non coniecturarum, sed nugarum esse videamur. Nihilo minus allaturus sum locos hos sententiis verbisque consonos et congruentes, dubitans an ad unum omnes tam levis sint momenti, ut ne dicam fieri non potuisse, sane verisimile non sit, quin modo hic modo illic Trogus Sallustii vestigia presserit.

De hac inter eos concordia cf.

---

[1]) Sic Fridericus Fischer l. l. p. 62.

Iust.	Sall.
c. 4, 2: spes victoriae.	Cat. 41, 2. 58, 18. Iug. 48, 2.
‚si' in enuntiatis concessivis positum idem valet atque, etiamsi.'	Cat. 58, 6. Iug. 14, 7; 16. 85, 48.
pro salute ferrum stringere.	Iug. 94, 5. 114, 2. hist. II 41, 9.
5—6: audire se a Pyrrho . . . fusos . . . Romanos. Audire Annibalem . . . inmoratum.	hist. I 41, 4.
7: Italiam ingressos inbellis.	Iug. 27, 7. hist. inc. 12.
	Iug. 20, 2. 41, 1.
8: hostem remotum.	hist. II 96, 4.
9: genus pugnae.	Cat. 51, 18.
c. 5, 4 genus belli.	
11: pro libertate.	Cat. 58, 11. Iug. 31, 17. hist. III 61, 4.
12: novus mos.	est usitatissima apud Sall. vox.
15: simul et (zugleich auch).	Iug. 20, 1. 25, 5. 73, 2. 84, 5. 97, 1.
15: feri populi.	Cat. 10, 1. Iug. 80, 1.
cap. 5, 1: vacuos et quietos.	hist. inc. 36. ‚quietus' saepe usurpatum invenias.
maius negotium habeant.	adamatum a Sall.
2: arma capere.	saepissime.
3: Phrygiam ademerant.	Cat. 12, 5. hist. I 48, 14.
4: Paphlagonia, quae . . . obvenisset.	Iug. 27, 4.
5: inter hanc decretorum amaritudinem.	Cat. 43, 3.
parendo.	absolute positum est Iug. 7, 4.
5; 9: obtinuisse (erlangen, erhalten).	Iug. 7, 4.
6: Phrygiam dimittere.	hist. I 41, 7.
8: in gratiam illorum.	hist. I 10.
9: libertatem delatam.	Iug. 31, 5.
10: praecepto illorum.	Cat. 44, 1. Iug. 13, 7.
10: se Nicomedi lacerandum praebuerit.	hist. III 61, 21: Pompeium lacerandum. hist. III 61, 6: vos singulis habendos fruendosque praebere.
c. 6, 1: hac arte grassari.	Iug. 1, 3. 64, 5. hist. inc. 96.
3: classibus in Asiam transiecti [transvecti (al.)]	Iug. 18, 5.
exercitu . . . regem domuerant.	Cat. 10, 1. 36, 4. hist. III 53.

4: pro hoste habitum.	Iug. 103, 5.
5: maiora haberi.	Iug. 92, 1.
Carthaginem deletam.	Iug. 41, 2.
6: patris memoriae.	Iug. 24, 10.
6: triumphi spectaculum experitur.	Iug. 14, 23; ‚experiri' frequens est.
c. 7, 2: imperia experiri.	
7: scilicet quia . . . habuerint.	Iug. 85, 25. hist. I 41, 17.
pastores Aboriginum.	Cat. 6, 1.
8: divitiarum avidos.	Iug. 15, 4.
c. 7, 2: quarum gentium nullam . . . attigisset.	Iug. 17, 1 (ubi attingendi verbo alia inest vis!)
4: virtus animi.	Cat. 1, 5. 2, 3. 53, 1.
locorum solitudinibus.	hist. III 52, quem locum in descriptione Ponti statuendum esse Kritzius monuit.
ingens militiae periculum ac labor.	Cat. 10, 2. Iug. 44, 1. 85, 7; 30. 92, 8. hist. II 41, 14. 96, 1. III 61, 18.
5: inter quas difficultates.	Cat. 57, 2. Iug. 7, 1. 90, 1.
spes praemii.	hist. III 8.
hostis vagus.	hist. II 80.
ingredi diversam belli	hist. II 45. Iug 42, 1. 43, 2.
condicionem.	Cat. 21, 1.
6: bellum facile.	Iug. 36, 3. 83, 1.
7: avida Asia.	hist. II 19.
8: calumniarum litium.	Cat. 30, 4.
9: Scythiam adire.	Iug. 89. 1.

Quorum de nonnullis supra disserere et addere quaedam in rem esse videtur.

Ac primum quidem in elementis grammaticae disciplinae usum formarum tertiae personae pluralis perfecti activi in —ere exeuntium e Sallustio Trogum sibi vindicasse pro certo affirmo. In Sallustii enim scriptis infinita prope et innumerabilia[1]) illius terminationis exempla inveniuntur, contra quae exiguus numerus in ‚erunt' desinentium pugnat, cum nunquam apud Nepotem, apud Ciceronem nisi tribus locis non legamus[2]) formam in ‚ere.' Quin Trogi c. 4, 10: ‚ubi consedere' et 6, 3: ‚fuere transiecti' non ita quidem valere

[1]) cf. Cat. 45, 3 p. 173 sqq. ed. Dietsch. Lips. sine anni indicio. Laws l. l. p. 10 cap. VI.

[2]) Zumpt lat. Grtk.[9] p. 175, 5.
Reisig's Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft mit Anmerk. von Haase p. 244. Anm. 269.
Neue lat. Formenlehre[2] II p. 390.

profitear, ut prorsus omnes in sententiam meam statim adducantur, facere non possum, sed illum obliqua oratione usum scribere, in qua complures indicativos ut inferret copia non erat, memoria teneamus; quo accedit, quod reliqui Iustini epitomes libri formis in —ere desinentibus paene turgent, quamobrem eas historicum e Sallustio, qui ita loqui amabat, mutuatum esse haud dubito statuere.

In declinando vocabulo ‚Perseus' Trogum a trita dicendi ratione recessisse Reckius[1]) monet verba faciens: Wenn nun gar von Perseus der Accusativ Persen heisst XXXVIII 6, 4, so kann diese Bildungsweise, wenn man nicht etwa den Nothbehelf, dass ein Nominativ Perses anzunehmen sei, wie er bei Cic. Cat. IV 10 steht, gelten lassen will, nur für abnorm erklärt werden, quae sententia plane refutanda est. Nomen enim regis illius Macedonici iam Sallustius casibus sic immutavit: gen: Persi[2]) hist. I 6 (genitivum formam secundae declinationis ‚Perseus' sequi iussit signum ‚ei' in i contractum affigens, ut Livius declinare solet), acc: Persen Iug. 81, 1 hist. IV 61, 7, abl: Perse Cat. 51, 5 eodemque tantum modo antea Cicero primae declinationis terminationes protulit: Perses, ae, ae, en, e (a), e[3]). Illas formas instructas primae declinationis terminationibus cum ne probatissimi quidem scriptores vitent, incertus haereo, utrum e Sallustio asciverit Trogus an ad dicendi consuetudinem sese applicaverit, quae ex Cicerone manavit.

Eodem modo atque Sallustium Pompeium Trogum quoque substantiva abstracta plurali numero dixisse videmus, quibus ab usurpandis quamquam alios scriptores classicos, qui vocantur, imprimis Ciceronem, Sallustii aequalem, nequaquam abhorruisse haud ignoro, tamen ex similitudine, quae inter nostros extat, aliquid lucri quaestionis causa fieri potest. Pluralis igitur numerus usurpatur, ut significet

1) complura genera substantivi abstracti:

c. 7, 5: difficultates — cf. Sall. l. iam supra l.

aut 2) actiones, condiciones, animorum quosdam habitus, qui iterum ac saepius repetuntur:

6, 7: legem odiorum. — Apud Sall. inveniuntur gaudia: Cat. 61, 9. Iug. 2, 4.

aut 3) quod pertinet ad complura concreta:

---

[1]) Recke l. l. p. 5.

[2]) cf. Charis. inst. grtc. I (I p. 68, 19 grtc. lat. ed Keil).
ex Charis. arte grtc. excerpt. (I p. 541, 39 K.)
Prob. cathol. I (V p. 24, 28. p. 28, 18 K.).

[3]) Conr. Leop. Schneider Formenlehre der lat. Sprache Berlin 1819. I p. 313.
Zumpt lat. Grtk.[9] p. 50, 4.
Billroth lat. Schulgrtk. § 65, 1 p. 66.

4, 10: ingenia. — Sall. Cat. 8, 3; 4. 20, 2. 51, 8; 35. Iug. 103, 2.

6, 8: animi — apud Sall. tritissima vox.

aut 4) propter concinnitatem verborum[1]:

7, 10: regna hereditatibus acquisita.

2) et 3) subiungendum est:

7, 2: imperia peregrina. — Sall. Cat. 6, 7. 19, 4; 5. Iug. 3, 1. 4, 7. 31, 11. 77, 1. hist. III 61, 5; 16; 18.

Immutationis substantivorum abstractorum pro concretis, qui usus sermonis Sallustiani proprietas late patens est, exempla exhibentur haecce:

4, 6: aemulationis et invidiae studium = aemulatorum et invidorum studium.

6, 2: ,cognitionum [al. cognationum] arbitria' positum est pro: cognitorum [cognatorum] vel iudicum.

7, 4: Scythiae locorum solitudinibus vel frigoribus instructae id est locis desertis et frigidis. — Sall. Iug. 17, 2. 74, 1. 75, 1. 80, 1. 89, 4.

Ea quam vulgo κατὰ σύνεσιν vocamus constructione, cum Ciceroni Caesarique inusitata fuerit, Sallustium haud rara usum esse permulta exempla docent, quae Anschuetzius l. l. p. 21 sqq. congessit. Sed Trogus quoque similiter c. 7, 8: se avida exspectat Asia, ut etiam vocibus vocet; adeo illis odium Romanorum incussit rapacitas proconsulum etc., ubi etiam nomen collectivae notionis cum plurali numero ipsius pronominis cuiusdam, quod ad illud refertur, coniunxit, cuius syneseos exempla satis frequentia apud Sallustium sunt, velut: Cat. 16, 1 iuventus — ex illis; 17, 7 coniuratio — apud illos; Iug. 102, 6 populus Romanus — tutiusque rati; complura alia vid. ap. Ansch. p. 22 et 23.

Huc annumero attractionis pronominis demonstrativi exemplum: 7, 10 ,illa indicia habere, quod possideat', quocum conferenda videntur Sall. Cat. 7, 6. 20, 4. 51, 14. 58, 16. Iug. 31, 15. 85, 30. hist. I 48, 12.

Adiectivorum et participiorum pro substantivis positorum, quae Sallustio usitatissima sunt (cf. Ansch. p. 25 sqq.), pauca reperiuntur exempla:

1) mascul. plural:

4, 2: impugnantibus; 5, 1: adversus vacuos et quietos; 7, 9: solus mortalium, de quo supra disserui.

---

[1]) Eandem ineo rationem quam Anschuetzius l. l. p. 4, qui Draegeri compositonem (l. l. p. 14 sqq.) ducem sequitur.

2) masc. sing:

7, 4: rudis ac tiro.

3) neutr. plur:

5, 5: decretorum.	Cat. 32, 2. Iug. 11, 5. 24, 3. 30, 1. 40, 1. 62, 5. hist. I. 48, 3; 17; 19. II 41, 1.
6, 1: delicta.	Cat. 3, 2. Iug. 3, 2. 32, 1. 38, 2. 45, 3.

4) neutr. sing:

5, 10: praecepto.	Cat. 44, 1. Iug. 13, 7. 94, 1. hist. III 67, 15.

Adiectivum pro adverbio ponere tam proprium Romanorum est, ut ‚se avida exspectat Asia' (7, 8) vix cum similibus Sallustii locis non infrequentibus comparandum videatur.

De adverbii pro obiecto apud nostros usu iam supra p. 29 scripsi.

Nunc de casuum et modorum ratione usurpata liceat strictim quaestionem instituere et investigare, an opinio nostra de Sallustii libris in Trogi historiis fonte exposita bene quadret ad eum modum, quo hanc disciplinae grammaticae partem tractaverint.

Genitivum terrae cuiusdam verbis belli et pugnae additum, quo adversus quam vel ubi quid geratur vel gestum sit significatur, semel in Trogi fragmento genuino legimus c. 7, 4: ‚bella Scythiae solitudinibus vel frigoribus instructae' = bella Scythica, quae in Scythia sunt, similiterque apud Sallustium hist. II 96, 10: ‚bellum Hispaniae in Italiam transgredientur', ubi bellum, quod in Hispania est, intellegitur.

Pronominis personalis genitivi apud Trogum exemplum c. 5, 9 ‚in contumeliam sui' et Sall. Iug. 80, 3 ‚ad studium sui'; 85, 38 ‚memoriam sui'; hist. I 60: ‚ex fiducia sui'; IV 33: ‚sui cultorem' nobis discernenda sunt: in quibus cum genitivus accipiatur obiectivus necesse sit, multum distant a Trogo, qui pro pronomine possessivo substantivo annectendo personalis genitivum id est subiectivum adhibuit, qui usus scriptorum aetate posteriorum Sallustio est.

Dativo ut a Sallustio creberrime post verba genere passivo usurpata idque praecipue post perfecti participium et quae ab eo repetuntur tempora ablativo cum praepositione ‚a' substitutus verboque ‚cognitum esse' semper[1]) ea de causa iunctus est, quod idem valeat atque ‚notum esse', ita eodem sensu Trogus utitur 4, 4: Romanos vinci posse, cognitum non sibi magis quam ipsis militibus.

Sallustium compluribus sentiendi et dicendi verbis promiscue et accusativum, quem asciscunt, et ablativum praepositionemque ‚de' coniunxisse atque etiam, aliquoties hanc structuram, ubi illa

---

[1]) Iug. 19, 7. 46, 3. 48, 1. 60, 5. 82, 3. 106, 2. 107, 3. 112, 1.

locum habebat, et contra usurpasse, obiter tibi inspicienti satis apparebit; exempli gratia: Cat. 51, 15: de poena disserunt; Iug. 30, 4: quae in contione — huiuscemodi verbis disseruit[1]); Iug. 33, 1: Romae Numidiaeque facinora eius memorat; Cat. 3, 2: ubi de magna virtute et gloria bonorum memores; Cat. 4, 3: de Catilinae coniuratione, quam verissume potero, paucis absolvam; Iug. 17, 2: ceter a quam paucissumis absolvam[2]).

Quid? Si Sallustium eum ferre velim, cuius auctoritati Trogus pareat in verbis: si modo aut proximas regni Attalici opes aut veteres Lydiae Ioniaeque audierint (c. 7, 7)? Quamquam similem verborum ordinem non exhibet (— an in iis historiarum partibus, quae aetatem non tulerunt, eum extitisse opinari vis? —), tamen, quod audiendi verbum et cum rei accusativo et ablativo praepositioneque ‚de' construxit, veluti: quae agitavi — audistis Cat. 20, 5;

---

[1]) In quibus quid intersit Badstuebnerus l. l. p. 12 explicat.

[2]) Aliter autem de audiendi verbo, quod eadem ex causa huc annectere Badstuebnerus non dubitavit, iudicandum esse existimo neque huic viro doctissimo astipulari possum. Quod quidem vocabulum illos, quos dixi, casus assumit, non tamen, quod obiectum notione quasi diducta et in partes soluta indefinitum ita ut singulae partes distingui possint, aut non proponitur, quae duo, ut Badstuebnerus vult, omnem causam continent, neque quod significationis diversitatem capit, quae ad structuram pertineat. Verbo ‚audire' enim vel vim seu facultatem audiendi habere, aures praebere, si absolute est positum, vel addito, quod auditur, aliquem sive aliquid auditu percipere, auribus sentire significatur*). Ut omittam, a quo, unde, ex cuius ore aliquid hauriatur, quod ablativo et praepositionibus, ‚a' vel ‚ex' exprimitur, longe plurima exempla, si persequimur et perlustramus, accusativum sive personae cuiusdam sive animalium sive rerum, quae carent anima, non praebent nisi si animal et res ita sunt, cuius vox, strepitus, sonus, fremitus, quae edunt, ipsa audiantur, aut si res auditione et fama accipiuntur, si modo proferuntur in medium. Si vero ‚audire' est sermonem audire de rebus, quae non tradi possunt, de quibus traditur, vel hören von oder über Etwas, ut lingua nostra utar, plerumque ablativus cum praepositione ‚de' usurpari solet. Pro qua structura alteram apud Trogum interdum substitui equidem arbitror et ita interpretor, cum, nullo omnino, ut mihi videtur, notionis discrimine, accusativum legimus, ubi ablativus et praepositio ‚de' exspectantur. Sic intellegitur: hac audita pugna maxima pars Aquitaniae sese Crasso dedidit (Caes. de bell. Gall. III 27, 1); auditis hostium copiis .espicerent suum ipsi exercitum (Liv. XLII 52, 10); omnes civiles dissensiones non solum eas, quas audistis (Cicer. nescio quo loco), ubi explicandum est: postquam audivit, quae pugna fuisset, sive pugnam esse factam sive de pugna commissa; si audivissent, quae copiae hostium essent vel de copiis etc.

---

*) cf. lexicon totius latinitatis I. Facciolati, Aeg. Forcellini et I. Furlanetti cura, opera ac studio lucubratum, nunc demum iuxta opera R. Klotz, G. Freund, L. Doederlein aliorumque recentiorum auctius, emendatiusælioremque in formam redactum curante Francisco Corradini. Patavii 1864. vol. I. s. v. audio.

reticere, quae audierat Cat. 23, 2; quod (sc. Iugurtham circiter duum milium intervallo ante Romanos consedisse) auditum est Iug. 106, 6; — de proelio facto audiebatur Iug. 22, 1, et quod aliis in verbis hanc structuram casuum variandi ac mutandi large effuseque sibi sumpsit, illud mihi confirmatur neque mirum videbitur, quod quid habeat offensionis, Trogum structuram illam si non e Sallustio ipsam deprompsisse, at saltem ab eo fingendae vel formandae exemplum sibi petiisse.

A scriptoribus nonnullis peculiari modo accusativo ‚in' praeponitur ad finem aut consilium exprimendum, cuius causa aliquid agitur, quod concisum dicendi genus ex orationis contractione ac brevitate profectum inde a Livii tempore in usum venisse Handio in Tursell. III p. 317 videtur, quocum cf. Draegerum I p. 614. Sed iam apud Sallustium haec structura duobus locis exhibetur, qui aciem virorum illorum doctissimorum atque intentionem praeterierunt. Quanam alia ratione intellegi vis Cat. 50, 2: lectos et exercitatos in audaciam, quam scripturam multi et probati codices tenent, et hist. I 45 suspecta in tumultum erat, nisi: exercitatos ad id, ut audacia facinora suscipere ne cunctarentur, et: suspecta erat proclivis esse ad tumultum excitandum (vid. Kritz. h. l.)? De aliis taceo exemplis, quae vel errore librariorum vel casu corrupta sunt aut et aliter exponi possunt. Cuius constructionis apud Trogum tria extant exempla: cap. 5, 3: in dotem dedisset; 8: in gratiam illorum occisum; 9: in contumeliam sui delatam. Qua de causa Trogo Sallustii studiosissimo hac quoque in dictione eius studium quin tribuamus nihil obstare censeo, praesertim cum Crispus ‚in' praepositione nominibus praefixa novas notiones et primus formaverit et e Graeco transtulerit in Latinum e. g.: decus in mercedem corruptum hist. I 13; in maius celebrare Iug. 73, 5; in inmensum; planum; praesens; pravum etc.

De ‚acerbius gerere' 5, 5 supra p. 29 disserui.

Ingredi verbum cum Sallustius et proprie et translate (— moliri, suscipere) dictum[1]) semper cum accusativo iunxerit: Numidiam Iug. 28, 7; eadem Iug. 42, 1, quod accusativum esse Kritzius contendit; magistratum Iug. 43, 2; regnum hist. II 45 et al. similiter a Trogo receptum est: Italiam ingressos 4, 7; bella Pontica ingressum 7, 4; diversam belli condicionem ingredi 7, 6.

Haud scio an Sallustium oleant 5, 5: inter hanc decretorum amaritudinem et 7, 4: inter quas difficultates, quem praepositione illa, ut condiciones vel status indicet, in quibus quid vel quis versetur, primum maxime usum esse testantur Cat. 43, 3 inter haec parata atque decreta; Cat. 3, 4. Iug. 30, 3. 40, 4. 47, 3; 4. 63, 3. 66, 3. 74, 2. hist. III 61, 27. inc. 76.

[1]) cf. Badstuebner p. 17.

Ad ablativum transeuntes apud utrumque scriptorem in terrarum regionumque nominibus, si quaeritur, unde quid fiat, praepositionem interdum omissam videmus:

Sall. hist. IV 61, 21 (Mithrid. epist.): si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur[1]). Iug. 39, 4: exercitus . . . Numidia deductus.

Iust. Mithrid. orat. 5, 6: Cappadocia filium eductum. 5, 4: cum Paphlagonia se decedere iusserint.

Itaque iusto iure Trogi illa e Sallustii dicendi generis imitatione expressa esse assevero.

Sallustium aliquoties ad designandum, quantum spatium temporis aliquid duraverit, pro accusativo ablativum admisisse demonstrant Iug. 94, 3: toto die intentos proelio Numidas habuerat; hist. III 34: Lucullum regis cura machinata fames brevi fatigabat, ubi ‚brevi' non ‚post breve tempus', sed rariore usu ‚per breve tempus' significare Kritzio recte videtur; Iug. 54, 1: Metellus in isdem castris quatriduo moratus, quibuscum si e Trogi fragmento c. 4, 6: ‚Annibalem . . . sedecim annos inmoratum' componimus, similitudinis inter scriptores indicium non inepte concludi potest, praesertim cum structura illa apud Ciceronem de nat. deor. II 52, 130 (‚Aegyptum Nilus tota aestate obrutam oppletamque tenet') et div. 1, 19 tantummodo[2]) (‚multis saeculis verax fuisse id oraculum') et apud Caesarem quoque rarissime inveniatur, nunquam sit usurpata tempore quod vocatur archaico.

Trogo quod in oratione obliqua saepissime indicativo pro coniunctivo usus sit ad rectam transgrediens, quam in contionibus a Sallustio semper adhibitam non comprobet, hunc subfuisse iam p. 31 statui esse verisimile; quod per se satis probabile nonnullis etiam aliis argumentis confirmabitur. In enuntiatis secundariis orationi indirectae interpositis, quae ex cogitatione alius, quem loquentem auctor induxit, proferri debebant, sive ut sua exhibet, suum ipsius iudicium menti alterius inmiscens eiusque in locum

---

[1]) Quod ablativos in dubio ponamus nihil esse a duobus quae sequuntur exemplis liquet, quae eos non valere ‚in Mesopotamia' declarant, ut Faber vult, neque ‚per Mesopotamiam i. e. ea parte, qua M. est' e Kritzii sententia, ad quem quidem prope accedo interpretando: von Mesopotamien her. Falsam igitur ablativi huius persuasionem Dietschius edit. h. l. afferens ‚via Nomentana proficisci, porta Collina urbem intrare' similia et Draegerus l. l. I p. 457 sibi induerunt; quem cum Iug. 39, 4 fugerit: Auch Sallust, inquit, (ebenso wie Cicero, Caesar und Livius) enthält sich dieser Construction, denn die Ablative M. und Arm. bezeichnen den Weg, auf welchem man zum Ziele gelangt, nicht das Ausgehen.

[2]) de off. III 2, 8: triginta annis vixisse Panaetium postea quam illos libros edidisset, ablativus ex ‚postea' pendet. cf. O. Heine in edit.[3]

explicandi causa substituens, sive nominis cuiusdam notionem pluribus vocibus et per ambitum verborum enuntiat sive rei factae veritatem per se spectari vult, hocce ex fonte indicativi pro coniunctivo usum haud infrequentem repetendum esse iam omnes fere grammatici et interpretes senserunt[1]). Non recte causas perspexisse mihi videtur Dietschius, qui uberrime quidem in annot. ad Iug. 38, 9 disputans, ut singulos locos explicaret, enisus est neque, qui eius vestigia persequitur, Badstuebnerus p. 39.

Qui usus quamquam eadem ratione minime rarus est apud probatos scriptores, tamen apud Sallustium tam creberrimum locum habet, ut mirari liceat; multis locis cum dicendi legibus, quas ascripsi, non plane convenientibus scriptorem non modo quasi neglegentia quadam, sed deflectentem longius a grammaticorum praeceptis indicativum insolentius posuisse nob's confitendum est. Prolaturus exempla adiuvor a viris doctissimis, qui non pauca iam congesserunt:

Cat. 14, 7. 17, 7. 22, 2; 3. 27, 4. 30, 6. 43, 2. 45, 1. 46, 3. 50, 3; 4. 51, 32; 37; 43. 57, 1.

Iug. 7, 1. 16, 2. 24, 5. 25, 10. 29, 1. 35, 4. 36, 1. 38, 9: ‚Iugurtha verba facit: tametsi . . . tenet, tamen se . . . missurum' si legimus, ut plurimi atque optimi codices exhibent, pro ‚teneret', quod in uno extat, indicativus usurpatus non paululum offensionis habet. (49, 2 est legendum ‚miserint', cum ‚miserant, miserunt, miserat' non pauci, sed minores codices tueantur). 54, 1: ‚ad cetera, quae levia sunt, parem animum gerant', ubi Dietschius in Sall. ed. mai. solus ‚sint' scripsit, quod nullis libris confirmatur. 63, 1. 81, 1: ‚quis . . . advorsa sunt', quo loco scriptura ‚sint' cod. Parisin. 1576 probatur, quamquam permulti alii ‚sunt' retinent. 93, 1; 6, 97, 3. 106, 3. 112, 2.

hist. I 48, 22.

Eandem libertatem indicativi in orationis obliquae sententiis scribendi ac licentiam Trogus sibi assumpsit, ut ex capp. 4, 3; 9: quod ... terruit; qui ... incolunt; qui ... occupaverant; 10. 5, 3: cum .... ademerant, quam concesserant; 6; 7; 8; 9. 6, 3: fuere transiecti; domuerant; 4. 7, 2; 9 manifestum fit, quae res mihi ad Sallustii imitationem spectare videtur.

---

[1]) cf. Ramshorn lat. Grtk.[2] § 186. D II 2 p. 795.
Madvig lat. Sprachlehre[3] § 369 p. 335.
Draeger l. l. II p. 416 sqq.
Dietsch. in ed. Sall. Crispi Cat. et Iug. Lips. ad Iug. 38, 9.

[2]) cf. eiusdem commentationum edit. mai. praescriptarum cap. IV p. 46—50.

Subiecti accusativos, quae sunt pronomina, in structura acc. cum inf., si ex antecedentibus verbis excusationem habent, ab omnibus omnium aetatum scriptoribus supplendos relinqui quis est qui nondum didicerit? Cuius subiecti ellipsis exempla, cum ex Cicerone raro depromantur, apud eos, qui consequuntur, multa colligas. Sallustius autem crebro et liberius omittendi initium duxit, quod Cat. 31, 7. 40, 3. 53, 3. 56, 5. Iug. 64, 5. 76, 1. 88, 5. 102, 2. 107, 4. 109, 1; 3. (14, 3 ‚posse' et 114, 2 ‚certare' Dietschius ex auctoritate cod. Parisin. n. 1576 in ‚possem' et ‚certari' mutans expunxit) hist. IV 61, 10; 17 [bis]; 22 satis illustrant, quibus acquiescas velim. Pronominum, quae apud praeeuntem absunt, numerum Livius quidem multo etiam exsuperat, nihilominus tamen in eam, quam hucusque protuli, sententiam nonne inclinabis, ut Sallustio auctori subiecti apud Trogum omissiones quoque imputemus? Sunt enim c. 4, 6; 7. 5, 5; 7, 10 (se). 5, 9 (eum). 4, 16. 7, 6 (eos).

Restat, ut nunc ad aliud e Sallustii studio brevitatis ortum proficiscar, in quo aeque Trogum fuisse imitatorem nobis statuendum erit. Verbi ‚esse' formas omissas dico, quae pro copulis usurpatae esse debebant, quae quoties sint audiendae e Dietschii commentariis ad Iug. 10, 2 p. 80 sqq.[1]) (ed. Cat. et Iug. min.) dilucide apparet, quo animum advertisse sufficiat. Nam quamvis redundent numeris, inchoata tantummodo et manca sunt iudicanda, quia Catilinam Iugurthamque modo respiciunt, nulla historiarum ratione habita[2]), et in notas numerorum locorum laudatorum errata subrepserunt, cum emendate non sint descriptae. Quod si Trogi, quem in grammaticis rebus et in verborum usu multa ascivisse e Sallustio non intermisimus cognoscere, c. 4, 3. 6, 6 (est). 4, 4; 5; 6; 7; 8 [bis]; 11; 12 [bis]; 16. 5, 1; 2; 5; 6 [bis]: 8; 9; 10. 6, 1; 2; 4 [bis]; 8. 7, 2; 3; 4; 6 spectamus atque contemplamur, quin item ex illo fluxerint meo quidem iudicio dubitari nequit.

De supino a verbis movendi pendente exposui p. 29, cui addere liceat quae praeter laudatum extant exempla: non expugnatum, sed possessum eant 7, 7.

Cavendum est, ne, ubicunque aliquid invenimus, quod Sallustio cum antiquiorum rerum scriptorum more dicendi commune

---

[1]) cf. eiusdem commentationum edit. mai. praescriptarum cap. IV p. 46—50.

[2]) Annoto Iug. 88, 6. 113, 1, ubi ‚sit' omissum est, et ex historiis I 23. 41, 7. II 23, 2 (est). I 23. 41, 7; 13. 48, 8. II 96, 1. IV 61, 20 (sunt). I 48, 14; 17 (sint). IV 61, 2 (essent). I 41, 19; 23; 24. 48, 11; 14; 17; 19. 67. II 96, 4. III 61, 14; 26. 67 col. IV p. 87. IV 61, 3; 13; 17 (esse).

est vel etiam apud comicos veteres et alios priscos auctores reperitur, Trogum hos, non illum imitatum esse nobis persuadeamus. Scriptorem nostrum summo amore antiquitatem amplexum priscae orationis vestigiis multis in rebus institisse coloremque in usum suum convertisse interpretes atque editores confirmant. Sed quae est causa, quod in eandem Trogi sermonem, cum ad ista est accommodatus, revocemus, cuius cum Sallustio compluribus aliis in rationibus concordiam vix abnuere atque refellere possis?

In oratione igitur, a qua quaestionis instituendae primordium duximus, etiamsi aliena inserta esse non immerito putetur, plerumque tamen, si vera sunt quae conieci, Trogum in rebus grammaticis, in vocabulorum usu, in sententiis repetitis ad fontem Sallustianum rediisse distincte elucebit, qui hic vel illic animadversionibus modo Trogi ipsius genuinis, non aliunde sumptis permixtus est.

His absolutis aliam nunc viam ad imitationem comprobandam ingressurus sum, qua in refutandis ac diluendis sententiis a viris doctis iam allatis versari ero coactus. Quas, cum iam primo aspectu nos sane quam offendant totamque, quam institui, disputationem in incertum possint revocare, ut penitus expediamus non pauca addenda sunt.

Tota enim Iustini parte, quae libros inde a XXXVI usque ad XLII comprehendit, Trogum Posidonium sibi ducem elegisse Heereno[1]) persuasum est et eundem auctorem ante oculos habuisse Carol. Muellerus[2]) ex Iustino colligit, quod Nicolaus[3]) probat.

Multa autem quominus his viris eruditissimis assentiar obstant. Negare quidem nolo Posidonium in *ἱστορίᾳ τῇ μετὰ Πολύβιον* Mithridatis initia incrementaque descripsisse et origines regni Pontici, quae libris XXXVII et XXXVIII a Trogo exposita esse ex prologis patet quorumque aliquantum ibi apud Iustinum adhuc legimus. Nam primum bellum Mithridaticum attingit cum Athenaei locus (VI p. 266 E = frag. 39 ed. Muell.) de Chiis subiugatis a rege vinctisque in terram Colchorum deportatis, tum gravissimum quod extat Posidonii fragmentum (apud Athen. V p. 211 D — frgm. 41 ed. Muell.), ubi de Athenione[4]) crudelissimo philosopho agitur, qui tyrannide occupata Atheniensium animos ad rerum novarum spem erexit, ut a Mithridate laetissima exspectarent, eosque acerbe cruciavit. Atque de his Posidonius, utpote qui, ex itineribus multis reversus cum Rhodi civitatis, quae Romanorum in fide remanserat, civis esse non de-

[1]) l. l. § 25 p. XCI.

[2]) cf. fragmenta historicorum Graecorum Parisiis 1849 vol. III p. 252b.

[3]) Griechische Literaturgeschichte vol. II p. 182. 2 Aufl.

[4]) sive Aristione. cf. Franc. Henr. Ludolf. Ahrens de Athenarum statu politico et litterario Gotting. 1829 p. 4.

sineret, ad summos pervenisset honores, locupletissimus auctor fuisse nonne potuit? Historiarum opus Posidonii 82 annorum spatium nempe ab a. 146 usque ad a. 63 complexum esse probabile arbitratur Heerenus (l. l. et de fontib. Plut. p. 142); Muellerus ad annum 96 historias descendisse contendens alteram fuisse partem nova librorum serie distinctam ex fragm. 40 et 41 statuit. Toepelmannus[1]) denique ad annum 67 deductas esse historias Posidonii sibi persuasit. Quibus omnibus Ricardus Scheppig[2]) adversarius exstitit hisce verbis: ,annus u. 668 (86) Mario fatalis certe gravissimus fuit nec non aptus ad finem historiis imponendum'; nullum enim eorum quae aetatem tulerunt fragmentum illum annum excedit. Quam opinionem p. 27—31 professus fuse stabilivit, ut pro vera certe accipienda sit. Eius testimoniis nisus auctoritateque fretus pro fundamento et meae quaestionis ponam neque omnis poni posse nego. Quodsi vero terminum historiarum ad a. 86 perductum recte nos docuit Scheppigius, ad Heereni sententiam Trogum ex Posidonio sua hausisse censentis non possumus non accedere, quia Mithridatis celebrem ad exercitum orationem ex Trogo integram exhibitam, cum ad annos 88 vel 87 pertineat, e Posidonii opere petitam esse non sine probabilitatis specie dixeris. At haec quamquam ita se habent, ne tale quid sumamus multis impedimur causis, praesertim cum graviter corruerent, quae supra statui ostendique. Haec inter se maxime contraria ut iuxta componantur et conveniant, quomodo efficere poteris? Quod fieri nego epistulae Sallustianae rationem reddens, quo familiaritatis vinculo, quam arta necessitudine cum oratione contineatur, satis multis exemplis postquam supra cognovimus. In tali, quem ad oculos demonstravi, inter Sallustium et Trogum consensu non tam locutionum quam sententiarum nexus hos scriptores inter sese quasi cognatione esse coniunctos magis inclinor ut contendam, quam ut e Posidonio, quem Trogo ad manum fuerit necne Heereno solo opinante ignoramus, orationem adumbratam esse et fluxisse credam. Iam vero, cum ita res sit, fortasse tibi videaris non sine causa suspicari etiam Sallustium suam epistulam ex Posidonio composuisse[3]), e qua deinde Trogus orationem desumpserit. Sed ne quis hoc in campum educat, quippe cum in Sallustii narrationibus historiarumque reliquiis nulla Posidonii eiusque operis fiat mentio et illum hunc convertisse in usum suum ne putemus Linkerus repugnat in commentatione praestantissima

---

[1]) Paulus Toepelmann de Posidonio Rhodio rerum scriptore Bonnae 1867.
[2]) diss. de Posidonio Apamensi rerum, gentium, terrarum scriptore Halis Saxon. 1869.
[3]) In numero auctorum historiarum Posidonium retulit Th. Vogel l. l. p. 17 et Gerlachius in edit.

de Sallustii historiarum prooemio[1]), quocum plane facio sic indicante p. 19 annot.: materiam praebere Sallustio poterat, satis facere pro tota ipsius de publicis partibus sentiendi ratione haud facile poterat. Pompeii enim amici res prae ceteris eum extulisse consentaneum est, cum uti Sullae ita pedissequo eius Pompeio maxume Sallustium infensum fuisse et ex tota vitae eius ratione appareat et satis superque ex historiarum fragmentis eluceat[2]). Adde quod ab a. 78 initium[3]) sibi scribendi elegit Sallustius satis quidem amplo prooemio tantummodo, priusquam ad ipsas ,res populi Romani M. Lepido, Q. Catulo consulibus (a. 78) ac deinde militiae et domi gestas' [frgt. 1] accederet, exposito, quomodo factum sit, ut ad eam potissimum condicionem res publica adduci potuerit, qualis illo anno obtinebat. Quod sufficere quodammodo arbitror ad certum ac firmum de Sallustii opere Posidonio non annexo ferendum. In errorem igitur magnum incidit, cui Posidonium adiisse videtur Sallustius.

Sed redeat, a quo digressa est, ad eruendam, quae inter Posidonium et Pompeium Trogum extat, rationem disputatio nostra. Ex iis, quae equidem hactenus proposui, licet sane opinari, quod non concedere nolo, Trogum Posidonio auctore usum esse, qua de re eodem modo Heerenus et Rzesinski[4]) indicant. At vero iniuria! Iam Scheppigius p. 35 Heerenum non mediocriter falli affirmavit, quod concentus singulos, quippe qui ad res neque ad rationem pertineant, nihil probare patet, cui accedit, quod aliae res repugnant, in quibus exponendis Iustinus vel a Posidoni ratione (compares Iust. XLII 2, 10. 3, 8 cum Posid. fragm. 85 = Strab. I p. 41!

Armenia . . . condita est autem ab Armenio, Iasonis Thessali comite.	Ἄριστα δ᾽ ἂν δόξειεν εἰπεῖν ὁ Ποσειδώνιος — Τὸ γὰρ τῶν Ἀρμενίων ἔθνος καὶ τὸ τῶν Σύρων καὶ Ἀράβων πολλὴν ὁμοφυλίαν ἐμφαίνει κατά τε τὴν διάλεκτον καὶ τοὺς βίους καὶ τοὺς τῶν σωμάτων χαρακτῆρας κτλ.)

vel a Diodori Siculi memoria recedit, cuius auctorem, cum unum modo per singulas historiarum partes sequi eum solitum esse

[1]) Marburgi Cattorum 1850.
[2]) cf. Linker p. 15 ann. 1.
[3]) cf. Kritzii epistul. critic. ad Ernest. Wuestemannum p. XV sqq. in edit. Sall. hist. fragm. Lips. 1853.
[4]) Rzesinski de Iustino Trogi epistomatore Krakau 1826. p. 8.

satis constet[1]), in eo, quem respicio, libro Posidonium fuisse quominus statuamus nihil impedit; velut

Iust. XLIV 2, 7	Diodor. l. XXXIII frgt. p. 93 ed. Bipont.
qui annis decem Romanos varia victoria fatigavit.	ἕνδεκα γὰρ ἔτη δυναστεύοντος αὐτοῦ (sc. Οὐριάτθου) Λυσιτανῶν — αἱ δυνάμεις διέμειναν — σχεδὸν ἀνίκητοι.

Ut ipse anquiram num exploratae sint causae, quibus, ut ita asseveraret, commotus sit Heerenus, nonnulla quidem illa sententia habet, quae nobis probanda sint, plurimis tamen in rebus a viro illo sagacissimo discrepemus necesse erit.

Ubinam sunt enim et quaenam argumenta, quibus nititur? Eorum, si quaesiveris, pauca modo vel, ut dicam quod sentio, nulla tibi apparebunt; Heerenus quod nisi in latis coniecturis non acquiescat non modo dolendum est, sed etiam tantum abest, ut verbis quamvis brevissimis verisimilitudinem significare conetur, ut opiniones opinionibus cumulet non dubitans, quin omnia, quae iactat, vera sint, quapropter eo de se praedicationis atque persuasionis procedat, ut, si contra auctoritatem eius disputantes aliud quid censere audebimus, vix arrogantiae speciem effugiamus. Quid ita? Quia nemo ignorat in historia antiqua paululum versatus, constat, clarum est, facile concedent omnes, dubium prorsus esse nequit, satis patet (vid. II § 25) etc., quod posuit vir illustrissimus. Cuius in verba utique nos iurare numquid putas oportere? Immo vero exempla docent et testimonia. Comparanti igitur cum Iustino Posidonii fragmenta occurrunt alia et ea quidem longe plurima, in quibus mirum in modum differant, alia perpauca, in quibus consentire videantur, unde non facile me adduci patior, ut conspirare eos credam. Sunt autem haec, quae afferri possunt.

Iust. XXXVI prol.; cap. 2—3 de Iudaeis longe alio modo agit atque Posidon. fragm. 14.

Iust. XXXVII 3, 2:	ex fragm. 34a.
Itaque Scythas invictos antea, qui . . . , ingenti felicitate perdomuit. cf. XXXVIII 7, 3—5; 9.	ἅμα πρός τε τοὺς Σκύθας ἐπολέμει . . . .

[1]) cf. Heyne de fontibus et auctoribus historiarum Diodori comm. p. LXXXIX ed. Bipont. vol. I.
Nissen Kritische Untersuchungen über die Quellen des Livius in der 4. und 5. Dekade p. 112.
Mueller historic. Graec. fragm. III 6 fin. et al.

XXXVIII 7, 10: propter munificentiam adquisita possideat Bosporum.

καὶ Βοσπόρου κατέστη κύριος παρ' ἑκόντος λαβὼν Παρισάδου τοῦ κατέχοντος. Ἐξ ἐκείνου δὴ τοῦ χρόνου τοῖς τοῦ Βοσπόρου δυνάσταις ἡ τῶν Χερρονησιτῶν πόλις ὑπήκοος μέχρι νῦν ἐστι.

XXXVII 3, 3:
Auctus igitur viribus Pontum quoque ac deinceps Cappadociam occupavit.
XXXVIII 2, 3: ne Mithridates accessione Cappadociae etiam Bithyniam finitimam invaderet . . .
— ib. 3, 4: Nicomedes regno a Mithridate pellitur.

ex fragm. 41.
Βασιλεὺς Μιθριδάτης κρατεῖ μὲν Βιθυνίας καὶ τῆς ἄνω Καππαδοκίας, κρατεῖ δὲ τῆς συνεχῶς Ἀσίας ἁπάσης ἄχρι Παμφυλίας καὶ Κιλικίας.

XXXVIII 8, 8:
Quibus confluentibus obvius legatis Romanorum, Scipioni Africano et Spurio Mummio et L. Metello, qui ad aspicienda sociorum regna veniebant, procedit sc. Ptolmaeus.

fragm. 13 = Plut. Moral. p. 777 A.
Καὶ Σκιπίων μετεπέμψατο Παναίτιον, ὅτε αὐτὸν ἡ σύγκλητος ἐξέπεμψεν
Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντα
ὥς φησι Ποσειδώνιος.

Quae quod ex Posidonio fluxisse Muellerus ad h. l. putat valde miror, cum non tam tenuissimus sit consensus quam locum apud eundem Plutarchum (moral. p. 200 E.) servatum apposuerit: *ἐκπεμφθέντα δ' αὐτὸν ὑπὸ τῆς βουλῆς τρίτον, ὥς φησι Κλειτόμαχος*
Ἀνθρώπων πόλεών τε καί εὐνομίην ἐφορῶντα,
unde an recte non largitus sit dubitari potest. Si enim istum versum Clitomachi esse et suppresso nomine priore loco a Posidonio laudari dicit reiiciens Lyndeni[1]) pro *Κλειτόμαχος Ποσειδώνιος* probante Bakio[2]) reponentis correctionem nonne e Clitomacho ipso Trogum derivasse versum accipere malis, quocum solo Iustini verba similitudinem monstrant. Quoniam vero totum locum Clitomacho cur abiudicemus causa non videtur[3]) atque

[1]) de Panaetio Rhodio Stoico philosopho Lugd. Batav. 1802 p. 43—45.
[2]) Posidonii Rhodii reliquiae doctrinae Lugd. Batav. 1810. p. 154—156.
[3]) Scheppig l. l. p. 33.

etiam Homeri (Odyss. 17, 487) versus est, eo magis species Posidonii a Trogo exhausti evanescet. Fortasse ut interdum e memoria versum expositioni addidit, cuius complura exempla collegit Geschwandtnerus[1]).

XXXVIII 8, 9:

erat enim et vultu deformis et statura brevis et sagina ventris non homini, sed beluae similis. Quam foeditatem nimia subtilitas perlucidae vestis augebat.

fragm. 11.

διὰ δὲ τρυφὴν διέφθαρτο τὸ σῶμα ὑπὸ παχύτητος καὶ γαστρὸς μεγέθους, ἣν δυσπερίληπτον εἶναι συνέβαινεν· ἐφ' ἧς χιτωνίσκον ἐνδεδυκὼς ποδήρη μέχρι τῶν καρπῶν χειρῖδας ἔχοντα ...

inter se cohaerere tune putare potes?

ib. 10, 1:

Antiochus — exercitum — adversus Parthos ducit. Sed per luxuriam non minor apparatus quam militiae fuit, quippe ... secuta sunt trecenta lixarum, ex quibus coquorum pistorumque maior numerus fuit etc.

fragm. 17.

περὶ — Ἀντιόχου λέγων, τοῦ ἐπ' Ἀρσάκην εἰς Μηδίαν στρατεύσαντος, φησίν, ὅτι ὑποδοχὰς ἐποιεῖτο καθ' ἡμέραν ὀχλικάς· ἐν αἷς χωρὶς τῶν ἀναλισκομένων καὶ ἐκφαντιζομένων σωρευμάτων ἕκαστος ἀπέφερε κτλ.

Quae cur Muellerus putet e Posidonio sua hausisse Trogum equidem non intellego.

XXXIX prol.:

Ut in Syria Heracleo post mortem regis occuparit imperium.

fragm. 36.

Ἱστορῶν δὲ καὶ περὶ Ἡρακλέωνος τοῦ Βεροιαίου, ὃς ὑπὸ τοῦ Γρύπου καλουμένου Ἀντιόχου τοῦ βασιλέως προαχθεὶς μικροῦ δεῖν τῆς βασιλείας ἐξέβαλε τὸν εὐεργέτην.

Heracleo nisi hic apud Iustinum non commemoratur, ex quo colligi nequit, num inter eum et Graecum intercedat consensio.

ib. prol.:

suffecto Alexandro, donec occisa per Alexandrum matre.

ib. 4, 4—5:

Cleopatra ... Alexandrum fi-

fragm. 37.

... ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ἀλέξανδρος ὁ τὴν ἑαυτοῦ μητέρα ἀποκτείνας συμβασιλεύουσαν

[1]) Quibus fontibus Trogus Pompeius in rebus successorum Alexandri M. enarrandis usus sit. diss. Halis Saxon. 1878 p. 30.

lium per legatos in regnum revocat; cui cum occultatis insidiis exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur.

αὐτῷ. Φησὶ γοῦν περὶ αὐτοῦ Ποσειδώνιος fabellam quandam.

Leviores sunt ansae, quam ut similitudinem reconditam tenere possimus.

Non legimus in Parthorum copiosa descriptione morum XLI 1—3, quae continetur frgt. 8.

De frgto. 19: *περὶ Σελεύκου διηγούμενος τοῦ βασιλέως, ὡς εἰς Μηδίαν ἀνελθὼν καὶ πολεμῶν Ἀρσάκει ᾐχμαλωτίσθη ὑπὸ τοῦ βαρβάρου* non liquet, num recte Seleucus dicatur, quippe quem expeditione in Mediam suscepta adversus Arsacen captum esse non noverimus ex Iust. XLI 4, 9: Arsaces . . . cum Seleuco rege . . . congressus victor fuit.

XLII prol.:

Ut praefectus Parthis a Phraate (Himerus) . . . in Babylonios et Seleucenos saeviit.

ib. 1, 3:

Phraates . . . ad tutelam regni relinquit Himerum quendam pueritiae sibi flore conciliatum, qui tyrannica crudelitate oblitus et vitae praeteritae et vicarii officii Babylonios multasque alias civitates inportune vexavit.

fragm. 21.

Λυσίμαχόν φησι τὸν Βαβυλώνιον, καλέσαντα ἐπὶ δεῖπνον Ἵμερον τὸν τυραννήσαντα οὐ μόνον Βαβυλωνίων, ἀλλὰ καὶ Σελευκέων κτλ.

nequaquam consensum denuntiant.

XLIV 1, 5; 6:

. . . equorum pernices greges; sed nec summae tantum terrae laudanda bona, verum et abstrusorum metallorum felices divitiae.

fragm. 48.

(de metallorum in Turditania copia) *Καθόλου δ' ἂν εἴπῃ, φησίν, ἰδών τις τοὺς τόπους, θησαυροὺς εἶναι φύσεως ἀενάους ἢ ταμιεῖον ἡγεμονίας ἀνέκλειστον· οὐ γὰρ πλουσία μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπόπλουτος ἦν, φησίν, ἡ χώρα κτλ.*

ib. 3, 1:

ex equarum fecunditate et gregum multitudine . . . ; qui tanti in Gallaecia ac Lusitania et tam pernices visuntur,

fragm. 51.

Ἴδιον δ' εἴρηκεν ἐν Ἰβηρίᾳ ὁ Ποσειδώνιος καὶ τὸ τοὺς ἵππους τῶν Κελτιβήρων ὑποφάρους ὄντας . . . καὶ

ut non immerito vento ipso concepti videantur.

ib. 3, 7:

feminae (sc. Gallaeciae) res domesticas agrorumque culturas administrant, ipsi armis et rapinis serviunt.

γὰρ ταχεῖς εἶναι καὶ εὐδρόμους μᾶλλον τῶν ἄλλων.

fragm. 53.

Γεωργοῦσιν αὗται (sc. mulieres Iberorum) τεκοῦσαί τε καὶ διακονοῦσι τοῖς ἀνδράσιν, ἐκείνους ἀνθ' ἑαυτῶν κατακλίνασαι. ἔν τε τοῖς ἔργοις πολλάκις τίκτουσι καὶ λούουσι κτλ.

ib. 3, 9:

nec ullum apud eos telum probatur, quod non Bilbili fluvio aut chalybe tinguatur. Unde etiam chalybes fluvii huius finitimi appellati.

fragm. 58.

Ὅτι ὁ Περσῶν βασιλεὺς τὸν Χαλυβώνιον μόνον οἶνον ἔπινεν.

Quod si respexeris, Iustinus et Posidonius inter se conveniunt quam minime. Non eget ultra argumentis res, quae oculis cernitur.

His igitur perpensis utriusque verbis collatis, satis sequitur illud, quaedam ab utroque in universum similiter quidem, in singulis tamen plane diverse esse descripta, quare, quia, exceptis quae supra attuli, fragmentorum reliquorum multitudo collatione Iustini historiarum ultro consumitur, ne Posidonium Trogi fontem esse cum Heereno et Muellero existimemus vetamur. Illi, opinor, de hac re si ita, ut ea qua par est diligentia atque subtilitate recensendis et perscrutandis veteribus scriptoribus operam navaverunt, indagassent, aliter fuissent iudicaturi. Non enim, ubiubi cum altero in aliqua re scriptor convenit, alterum esse auctorem affirmandi potestatem habemus; nam res gestae, de quibus historici tradunt, non eorum sunt propriae, sed omnium communes, quo fit, ut ratio tantum communis ad illam quaestionem diiudicandam aliquid valere possit[1]). Quae profecto prorsus abest.

Si cui quae censui etiamnum inaudita videantur, eum monitum velim in Iustini l. XXXVI—XLIV multa insuper inesse, quae Heereni sententiae refragari facile omnes concedent. Anno enim 86 Posidonii historias aptissime terminari satis in aprico est. Quae ubi ita se habere ratiocinatione mihi persuasi, ecquid traditum supersit apud Iustinum, ad illustrandam meam sententiam quaesivi. Atqui, ut nonnulla depromam, quae legimus:

---

[1]) vid. Scheppig p. 34.

l. XXXIX 5, 9: Creta Ciliciaque piratico bello perdomitae in formam provinciae rediguntur. Quo facto et Syriae et Aegypti regna Romana vicinitate artata, quae incrementa de finitimis bellis quaerere solebant, adempto vagandi arbitrio vires suas in perniciem mutuam converterunt ...

l. XL 1, 1 sqq.: populus Syriae peregrinos reges sibi circumspicere coepit ... quod rex Mithridates implicitus bello Romano esset ... omnes in Tigranem regem Armeniae consensere ... Igitur accitus in regnum Syriae per X et IV annos tranquillissimo regno potitus est.

XL 2, 2 squ.: Tigrane a Lucullo victo rex Syriae Antiochus, Cyziceni filius, ab eodem Lucullo appellatur. Sed quod Lucullus dederat, postea ademit Pompeius.

— ib. 2, 5: Atque ita Syriam in provinciae formam redegit, paulatimque oriens Romanorum discordia consanguineorum regum factus est

et alia ultra annum illum longe progressa sunt. Quas res suo aevo gestas potuitne ‚facile subiungere'[1]) Trogus operi, quippe qui neque rerum ac temporum ordinem, quemcunque in fonte suo invenerat, permutaverit neque sua sponte libros suos locupletaverit accessionibus?

Quibus omnibus de causis nos quidem ex Iustino colligimus, Posidonii historiis Trogum usum non esse. Idem nobis statuendum erit de libris eius περὶ Ὠκεανοῦ, in quibus mathematica potissimum et physica adhibita ratione geographiam fuisse expositam Strabo (II p. 94. VIII p. 332) profitetur. Quos ubi Trogus adhibuisse potuit, in describendo terrae motu, qui Syriam vastavit, fusius egit quam ut excerpsisse videatur (cf. XL 2, 1 — Posid. fr. 76). In hoc geographico opere quamquam quin res ad historiam spectantes intexuerit sibi temperare non potuit, tamen non invenies, quae apud Iustinum certo auctore carent, cum multo ante historias conscriptum[2]) non modo coartatas et peranguste refertas res historicas contineat, quas in historiis ipsis latius divulgatas non potuit non retractare, verum etiam quae posterioribus annis facta sunt omnino non complectatur. Forte cui denique id est offensioni, quod a multis et doctis viris aut in medio relinquitur, utrum Posidonius praeter historias libros ad historiam pertinentes composuerit necne, aut illud vel probatur. Sed cuius nusquam fit mentio neque vestigium reperitur, de eo[3]) non est cogitandum, unde pendeat Trogus. Itaque licet equidem mea explicatione non impulsor fuerim atque persuasor, ut Posi-

[1]) Heeren § 26 fin.
[2]) quod satis defendit Scheppigius p. 18 et 20, quocum prorsus facio.
[3]) cf. Scheppig p. 38 squ.

donii studiosum Trogum fuisse deneges, id saltem ut explanaverim fore confido, ne ulla quidem certa causa Heereni et qui sequuntur sententiam fulciri ac sustineri potuisse.

His disputatis de virorum egregiorum mihi contrariis opinionibus ad verum Trogi fontem perscrutandum sive iam indagatum amplius explicandum, unde digressus sum, redeo. Sallustio in Mithridatis oratione conficienda Trogum non usum modo esse sed transscripsisse ferme — ita paene ad verbum multa sibi respondent — rectene coargui? Sed aliis locis quod ad rem attinet non multum narrandi argumentum e Sallustio eum sustulisse animo prompto proclivique confiteor, cum narratorum ratio atque ordo ab utroque institutus fere undique varientur. In rebus vero Mithridaticis Trogum Sallustii historias ante oculos habuisse nobis tenendum est; quem pleniorem et longiorem fontem praeterea sit secutus, cum ambigatur, discernere longum est. Trogus enim unum fontem retractare aspernabatur, duos consulere malebat; quos cum in unum corpus confundere non posset, alternatim exscribebat, qui auctorum adhibendorum modus satis confirmatur[1]).

Ad illam nostri iudicii summam, ut certa decernatur, hae quoque ducunt reputationes.

Potest, ut epistulae et orationis caput, quod unum est, aut fuerit in fontibus Sallustio Trogoque superioribus aut ab altero sit confictum et commenticium.

Ac primum quidem, cur duplex sit et ultro tam multis locis dissonum quam impositum in tempora longe inter se distantia, ut enotemus, alter ad ipsam veritatem esse locutus vel certe proxime vero abfuisse, alter forma mutata argumentum accommodasse suis, quae tradit, temporibus et locis existimandus est. Hoc de Sallustio, de Trogo illud quominus sumamus abstrahimur. Nihil enim esse, quod Sallustius transtulerit, nemo non videbit, quippe qui orationes rhetoricis ornamentis plus aequo, et magis quam adhuc concessum sit a plerisque, praesertim ad cognoscenda tempora moresque hominum aptas libris suis inseruerit, ubicunque occasio oblata est. Minime vero sermonem dignum cui credatur, si ex temporibus belli primi in Mithridatem inchoati ab idoneis fuisset vulgatus scriptoribus, silentio dissimulasset, quo in natura et vita regis describenda eius ingenium indolesque praecipue depingi potuerat. Atque de Mithridatis genere et maioribus, tum quibus moribus fuerit, exposuisse Sallustium ex eius fragmentis II 44 sqq. patet. Quamquam, cum ad res post annum 78 gestas accesserit,

[1]) cf. Fricke Untersuchungen über die Quellen des Plutarch im Nicias und Alcibiades Leipzig 1869. pp. VI. 18. 60. 73. 95. Haake de Duride Samio Diodori auctore Bonn. 1874. p. 33. Geschwandtner p. 6 sqq.

propterea tertium solum bellum Mithridaticum retulerit, cum eius initiis simul mores regis ac prioris vitae facta non adumbrare non potuit. Cui loco orationem, quae bellaturi regis postulata maxime quidem utilia fore illis, a quibus societatem auxiliumque petant, sin minus, saltem non perniciosa demonstret — ea enim est communis Trogi orationis Sallustiique epistulae ratio — annecti opus fuit et certe, si qua fuisset allata, admiscuisset et Sallustius.

Sed ne nimium contendisse videar, porro alia argumenta distincte propono. Illa enim epistulae et orationis summa, quam apud utrumque scriptorem legimus, num communi ex fonte desumpta sit, perquirenti mihi, ut in lucem protrahatur, omnes, quibus uti potuerint, historiae auctores in mentem venerunt. Sed frustra eos adii. Etsi in omnes tanta fati invidia saeviebat temporis iniquitas, ut multorum praeter nomen nonnisi fragmenta nobis relinqueret, non paucorum ne haec quidem nos pateretur resciscere, tamen ex iis hausisse nostros ut putemus non commovebimur. Scriptores qui talia narrare potuerant, qualia nostri, cum enumerare longum est tum iam melius apud Linkerum (p. 16), Iordanum[1]) (p. 6 sqq.), Nicolaum (II p. 187 sqq.), Peterum[2]), Muellerum, Teuffelium legas. Dubitationi tibi fortasse subortae et facillime et certissime respondebimus, si persuasum tibi fuerit mecum consideranti, primum de quibusdam[3]) illorum nos ignorare, quousque scribendo reliquiis ex solis primis libris excerptis pervenerint, neque id posse coniici, deinde de aliis, quomodo res Mithridaticas fragmentis ne tenuibus quidem et nuntiis nobis servatis tractaverint, tum de aliis, quae tempora narrando sint amplexi, nobis non tradi; nonnullos postremo ex eorum scriptorum grege fuisse, qui Sullae et Pompeii res in eorum honorum magno

---

[1]) de fontibus Appiani in belli Mithridaticis enarrandis Gottingae 1872.

[2]) Hermannus Peter veterum historicorum Romanorum reliquiae Lipsiae 1870.

[3]) Unum Sisennam praedico, qui opus belli civilis Sullanique (ita Vell. II 9, 5) edidit, quod aut bellum sociale et Sullae civile aut hoc et id, quod contra Mithridatem in Graecia Asiaque Sulla gesserit, num intellegamus non satis constat. In quo argumentum epistulae nostrae extitisse tibi probanti (nam frgt. 128 Pet.: ‚Romanos inferendae pernicii causa venisse' verba esse Mithridatis aut unius ex eius ducibus coniecit Riese *) p. 63 ann. 2) ocurro: At vana haec Riesii opinio videtur esse. Accedit quod Sisennae fides abroganda est, cum etiam in historia obnoxius sit nobilitati, Sallustio infensae, atque principi gentis Corneliae, quarum ex numero et ipse fuerit neque a partibus discesserit. Adde quomodo Kritzius in praefat. ad Sall. fragm. p. XVII refutaverit Gerlachii opinionem ed mai. Sall.**) vol. III p. 48 ex diverso propositam.

---

*) Ueber das Geschichtswerk des L. Cornelius Sisenna. Festschrift zur Begrüssung der 24. Philologen-Versammlung zu Heidelberg. Leipzig 1865.

**) Basileae 1827—1835.

cum studio retulerant, quamobrem eorum opera nullius omnino pretii ratos neque Sallustium neque Trogum adhibuisse verisimile est, et, quod eorum memoria paene tota deperiit, haud ita dolendum esse videatur. Est igitur nihil neque causae neque certi, quo quis sententiam meam impugnare possit; et missam faciamus hanc quaestionem, cum, quod offendere possit, desierit.

Ne vero quisquam mihi obiiciat, Sallustium, utpote qui, quae in aetatem ipsam incidebant, prodiderit, acta fortasse diurna populi in suum transtulisse opus historicum ex iisque epistulam Mithridatis sumpsisse, eum monitum velim, perversam esse et pravam talem opinionem. Nam Caesar primus a. 59 acta populi instituit (cf. Suet. Caes. 20), quibus, ut Lipsii[1]) utar verbis, continebantur res rationesque populi, iudicia publica, supplicia, comitia, nativitates, aedificia, illustres mortes, matrimonia, divortia. Ante acta inveniuntur quidem, ad quorum similitudinem ea perscribi coepta esse verisimile est. Dudum enim eam Romae consuetudinem fuisse necesse est, ut magistratus, qui procul ab urbe sive bella gererent sive provincias regerent, ab amicis Romae degentibus, quaecunque ibi scitu digniora publice privatimque agerentur, per litteras communicata acciperent[2]). Autumas ex iis Sallustium epistulae suae argumentum petiisse.

Quibus late expositis alterum, quod restat, aggressurus sum, ne lectoris patientia diutius abutar. Ex ratiocinatione nostra magna cum probabilitate colligere fas est, ad verba Mithridatis ipsa scriptores nostros epistulam et orationem non expressisse. Quod ut credamus gravioribus adducimur causis. Trogi in manus orationem ipsam venisse tibi num persuadere poteris? Illa enim aetate, qua orationes habitae auditione tantummodo accipiebantur neque ab auctoribus verbis iisdem, quibus locuti erant neque ab auditoribus reddi solebant? Mecum sentiunt Ruehlius[3]) vir ille illustrissimus: die Rede ist ein Prunk- und Meisterstück seines Werkes et Drumannus[4]) p. 440. Atque orationem, si attentis oculis perlustramus, multa exhibere vitia contra historiae fidem, quis est qui neget? Mithridates enim postquam Aquilio et Maltino devicto (a. 89) civitatibus debita remisit vacationemque quinquennii concessit (a. 88), tunc milites ad contionem convocasse eosque exhortatus in Romana bella descendisse dicitur. Quod sive belli exorsus, ut ait Trogus, in a. 87 cadit, quo ineunte Sulla im-

---

1) in excurs. ad Tac. ann. V 4.
2) cf. Teuffel Röm. Litgesch.[3] p. 430.
Huebner in Jahn. annal. phil. suppl. III p. 594.
3) ‚die Textesquellen des Iustinus‘ in Iahn's Iahrbb. f. Philol. Supplbd. VI p. 109.
4) Geschichte Roms Königsberg 1835 vol. II.

perator bello gerendo creatus est, quamquam Mithridates iam a. 88 primo vere ultro bellum Romanorum ducibus intulit[1]). Ille autem annus neutiquam cum aliis a Trogo nobiscum communicatis concinit. Nam bello Marsico, in quo hoc ipso tempore universam Italiam consurrexisse non tam libertatem, sed consortium imperii civitatisque poscentem rex affirmat, lege Plautia principio a. 89 prope composito paulo post seditio conticuit. Magnus est porro error Mithridatis simul Cimbros inundasse Italiam censentis, quos, cum varios exercitus Romanorum fudissent, a. Mario a. 101 caesos esse ac paene deletos inter omnes constat. Et Italiam more procellae inundaverunt? Mithridates, si illorum trium bellorum, ‚etsi singula sustinere Romani possent, universis tamen obrui' protulisset, arrogantissime esset ementitus. Tribus superavit proeliis Pyrrhus Romanos? Multa igitur rei exaggerendae causa admixta videmus. A Mithridate?[2]) Deinde additi tres et viginti anni (XXXVIII 8, 1) anno 87 efficiunt annum 110, quem primum esse sumpti regni nobis inde coniiciendum est. At vero iniuria. Ex veterum enim testimoniis fide ponderata et ex nummis initium regni Woltersdorfius[3]) accurate eruit, a. 120 constituens aut a. 112, ubi peractis in silvis septem annis tutela se abdicans ipse regni administrationem rex suscepit. Ex his apparet Trogum, virum priscae eloquentiae[4]), disertissimum[5]), ipsam veritatem non custodientem moliri volnisse rhetoricum artificium.

Sed non magis Trogus orationem quam Sallustius epistulam, ut dicta erat, ante oculos habuisse putandus est, quem non alia epistulae notitia instructum esse verisimile videtur, quam quae ad aures illis ipsis temporibus perveniebat, nisi omnino negare malis unquam extitisse epistulam chirographam. Id autem cum per se credendum est tum confirmatus argumentis. Orationes, quas historiis interposuerit, ex suo effinxisse ingenio Sallustium neque eas a viris, quos velit, re vera habitas esse censens a multis et doctis viris adiuvor. Et Baehrii quidem affero verba[6]): diese Reden hervorgerufen durch das Staatsleben der Römer und den Einfluss, den hier die Beredsamkeit auf den Gang der öffentlichen Angelegenheiten ausübte, andererseits aber auch als eine Folge der rhetorischen Bildung und des immermehr hervortretenden Strebens, Werke zu liefern, die auch durch die Form und die

---

[1]) cf. Mommsen Röm. Gesch.[4] II p. 287.
[2]) Iust. XVIII 1, 6; 11. XXIII 3, 11—12 plane idem.
[3]) comm. vitam Mithridatis M. per annos digestam sistens Gottingae 1818 cap. III.
[4]) Iust. praef. 1.
[5]) Vopisc. Prob. 2, 7.
[6]) Röm. Litgesch.[3] II p. 78.

Darstellung sich auszeichneten und den Geschmack der Zeit befriedigten. So erscheinen diese Reden zugleich als wahre Kunstproducte. Teuffelius p. 398, 4[1]) sic indicavit: Urkundlich sind diese Reden nicht, qui, cur ita concludat, exposuit. Addas G. E. Muellerum[2]): Rom fand damals vielen Geschmack an Reden und . . . man gab gerne Muster, wie sie hätten sollen gehalten werden et Dietschium in annot. ad Sall. Catil. (edit. min.) pp. 240 et 293. Accuratius sententiam illam comprobare ab hoc loco alienum mihi videtur, attamen meo iure astipulor, praesertim cum iam ex indole orationum itemque ex formulis iterum iterumque repetitis: orationem huiusce modi habuit; huiusce modi verba locutus est; habuit; hoc modo locutus est; disseruit ut pro vera accipiamus propensi futuri simus et Sallustium eo modo dixisse, quo cuiusque ingenio maxime sit aptum, omnes persuasum habeant. Multo magis illustratur, quod Sallustius in oratorum Graecorum studium diligentissime incumbens sententias singulas ab ipsis illis dictas in suas excepit orationes, ad suum autem arbitrium in dispositione sola egit atque dicendi genera eorum, quos loquentes induxit, proprietatibus adaptavit. Quibus de translationibus e scriptoribus Graecis factis, ut supersedeas comparare, te remitto ad Dolegae dissertationem[3]). In epistulis quoque libris insertis, quod gravissimum apparet, quominus idem valeat, nihil est impedimento et praecipue in ea quidem, quam maxime ad me pertinere puto, in Mithridatis epistula ad Arsacen regem. Neque adversatur Dor. Gerlachius[4]), qui: tiefsinnige Enthüllung der römischen Staatskunst inesse videt neque Hitzigius[5]) mihi non assentitur conclamans: Wie kann dem Mithridates oder vielmehr dem Sallust ein Philologe oder Historiker . . . einen solchen Satz zutrauen? Optime iam patefecit Dolega rem l. l. p. 42. Ursini reiiciens opinionem censentis ex simillimo inter epistulam et Corcyraeorum apud Thuc. I 32—36 orationem argumento illam ex hoc scriptore Graeco pendere uberius ostendit, Sallustium nisi argumentatione Corcyraeorum non usum eorum orationem imitari, pressius sequi in exornando sermone formulas sententiasque Demosthenis. Utut rem, quo pacto habeat, intellegimus, hoc quidem certum iudicium ferre licebit, quod in nostra epistula ad argu-

---

[1]) cf. Pauly Realencycl. VI 1 p. 701.
[2]) cf. historisch-kritische Einleitung zu nöthiger Kenntniss und nützlichem Gebrauche der alten latein. Schriftsteller Dresden 1747 vol. II p. 448 squ.
[3]) de Sallustio imitatore Thucydidis, Demosthenis aliorumque scriptorum Graecorum. Vratisl. 1871 p. 23 sqq.
[4]) cf. histor. Studien Hamburg u. Gotha 1841 I p. 304.
[5]) Mus. Rhenan. vol. X p. 469.

mentum epistulae a Mithridate re vera scriptae Sallustius sese non applicuit.

I. 82, 1: novus hostis adcesserat.	1: novus hostis accesserat. XVII 2, 10: tertius hostis sibi accederet.
I. 107, 1: ab inermibus pedibus auxilium petere.	16: salutem pedum celeritate quaesierat.
I. 99, 1: somno captis.	17: somno captus.
C. 4, 4: periculi novitate.	18: ad novitatem regni.
h. I 41, 19: arma in nosmet vorsa.	23: in semet ipsos arma vertunt. XXVII 2, 11.
I. 62, 9: de integro bellum sumit.	25: ex integro bella nascuntur.
	liber XVI.
	cap. 1.
I. 22, 4: sceleri obviam isse.	10: occupasse insidias. XXXIV 4, 2.
I 14, 9: stirpis tuae extinctorem[1]).	15: extinctorem regiae domus.
	17: interfectores stirpis suae.
C. 27, 4: Calpurnio Numidia obvenit.	19: Macedonia Antipatro obvenerat.
	cap. 2.
I. 10, 6: concordia parvae res crescunt.	1: vires quaesitae essent concordia.
h. III 61, 8: spem frustra fuisse.	3: spes frustra fuit.
I. 101, 3: spes frustrata.	
C. 50, 4: in custodiam traditi.	4: in custodiam tradit.
I. 95, 3: familia extincta.	5: stirpis extinctae.
h. II 41, 2: honesta mors.	6: honeste mori. XX 3, 6.
h. II 41, 9: honestius vitae finem fecerim.	—
	cap. 3. (* 4—fin.)
I. 83, 1: alia abnuere.	9: conlationem abnuerant.
C. 39, 4: libertatem extorqueret.	10: ad extorquendum quod negabatur.
h. III 52: ferocissumi Tauri.	11: ferocissimas gentes.
	cap. 4.
C. 51, 9: belli saevitia.	12: pristina saevitia.
I. 19, 1: sollicitata plebe. C. 28, 4.	16: sollicitata plebs. 5, 1.

[1]) cf. XIII 8, 6 et ann.

	cap. 5.
I. 31, 10: incedunt per ora vostra.	5: per ora civium trahit.
I. 20, 6: regnum invaserat.	18: tyrannidem invasit.
	liber XVII.
	cap. 1.
I. 63, 1. 70, 1. 114, 1.	1: Per idem tempus.
h. II 23, 2: ultra Romanorum morem.	4: ultra humanum morem.
I. 43, 5: animum invictum gerebat.	11: cupiditatem insatiabilem gerebant.
C. 31, 2: pericula metiri.	12: vitae finem — metiebantur.
	cap. 2.
I. 106, 6: insidiis circumventos	5: per insidias circumventus.
C. 33, 5: — cum anima simul amisit.	— cum vita pariter amittit.
	cap. 3.
h. I 9: adsiduis bellis.	16: adsiduis bellorum certaminibus. XVIII 2, 11. XX 5, 14. XXXIX 5, 5.
h. I 41, 5: ex ira in miserationem vortunt.	21: odio in misericordiam vorso.
	liber XVIII.
	cap. 1.
C. 36, 5: praemiis inductus.	1: precibus — spe inductus
C. 61, 7: Neque exercitus populi Romani — incruentam victoriam adeptus erat.	7: Nec hostibus incruenta victoria fuit.
	cap. 2.
h. I 48, 2: bellum pati.	1: bellum paterentur.
I. 108, 1: speculatum Bocchi consilia.	3. speculaturus consilia eius. XXI 6, 1: ad speculandos animos. XXXI 2, 1. 4, 4.
	cap. 3.
I. 94, 3: diu multumque fatigati.	6: diu varieque fatigati.
h. III 67 col. VII 12: servilli ingenio.	13. 14: servilis ingenii ratio.
	* cap. 4.
I. 9, 2: heredem instituit.	3: heredibus institutis.
C. 39, 2: eum vi adgrederetur.	10: fratrem dolo adgreditur.
	14: ministros adgreditur.
	cap. 7.
C. 10, 1. 36, 5. h. III 53.	2: Siciliae partem domuerant. XLI 5, 9. XLIV 5, 6. cf. I 1, 8. XII 5, 12.
C. 33, 1: deos hominesque testamur.	5: deos hominesque testati.

C. 60, 4: officia exequebatur.	7: officia executurum.
C. 51, 25: in parricidas rei publicae.	18: in patria parricidii.
C. 17, 7: opes crevere.	19: opus creverunt.
	liber XIX.
	cap. 2. (*8 — fin.)
h. I 41, 13: leges iudicia.	6: iudicia legesque.
	liber XX.
	cap. 2.
C. 51, 30. h. I 41, 6.	11: metu territi.
	cap. 3.
C. 33, 6: maxume ulti sanguinem nostrum pereamus.	5: non inulti morerentur.
C. 58, 21: inulti animum amittatis.	
	cap. 4. (*5—13.)
C. 25, 2: alia, quae instrumenta luxuriae sunt.	11: cetera — velut instrumenta luxuriae.
	cap. 5. (*3 — fin.)
I. 77, 2: amicitiam societatemque rogatum. 83, 1.	4: societatem amicitiamque petentes. XXIII 2, 1.
h. IV 61, 4: societatem petere.	
h. IV 61, 6: fracto Philippo.	14: fractus.
	liber XXI.
	cap. 1.
I. 42, 4: mortalis ferro extinxit. I. 24, 2.	1: extincto tyranno. XXXIX 2, 8.
C. 10, 1: aemula inperi Romani.	3: aemulos imperii sui. 6, 3: XXII 3, 4. XXXIX 1, 10.
I. 20, 1: in regnum animum intendit. I. 43, 2.	4: animum ad favorem intendit.
	4, 8: in dominationem intendit.
	cap. 2.
I. 64, 5: ira grassari.	2: saevitia grassatur.
I. 1, 3. h. inc. 96.	
I. 92, 3: caede omnia conplentur.	caedis civitatem replet.
C. 57, 5: fortunam belli temptare.	6: fortunam temptasset.
C. 49, 2: inimicitias exercebant.	9: saevitiam exercet. XXII 1, 14. XLIII 3, 5. cf. VIII 3, 13.
h. III 67 col. VI: citra [contra leg.] praeceptum ducis rapere ad stuprum virgines matronasque.	10: coniuges ad stuprum rapi iubebat, virgines. XXVI 1, 7.
	cap. 3. (* 1—8.)
h. IV 5: sorte ductos necat.	4: sorte ductae fungantur.
C. 2, 4. 5, 7. 9, 3. I. 96, 4.	9: his artibus regnasset.

	cap. 4.
C. 20, 1: arbitris remotis.	3: sine arbitris.
C. 46, 3: ad concitanda servitia.	6: servitia concitat.
	cf. XIV 3, 6. XLI 2, 5.
h. I 30: fracta prius crura bracchia et oculi effossi, scilicet ut per singulos artus expiraret.	7: effossis oculis et manibus cruribusque fractis velut a singulis membris poenae exigerentur.
h. III 67 col. VII: lacerum corpus.	8: corpus lacerum.
	cap. 6.
C. 31, 4: crudelis animus.	7: crudeli animo.
	liber XXII.
	cap. 2.
I. 29, 2. h. IV 61, 12.	4: Syracusae inpugnatae.
	cap. 3.
I. 91, 4: nihil hostile metuentes.	1: nihil hostile metuentes. XXXVI 1, 2.
I. 20, 1. 58, 1: ex inproviso invadit.	1: ex improviso adgreditur.
I. 23, 2: infestum hostem.	3: infestissumo hosti.
C. 47, 1: in ea coniuratione esse.	6: in imperio esset.
	cap. 4.
C. 59, 1: exaequato periculo.	5: exaequata condicione.
	cap. 5. (* 3—fin.)
C. 22, 2: aperuisse consilium suum.	2: consilium suum aperit.
C. 20, 13. 52, 21. I. 85, 3: domi forisque.	4: domi — foris. 7, 3. XXXI 5, 8: domi forisque.
C. 20, 14: ea victoribus praemia.	11: Africam praemium victorum.
	13: praemium victoribus uberius.
	cap. 6.
I. 5, 2: vastitas Italiae.	9: vastitatem agrorum.
	cap. 8.
C. 19, 1: adnitente Crasso.	6: Paulum adniterentur.
I. 35, 6: inconsultius adgreditur.	7: inconsultius proelium committendo.
h. I 48, 15; 20[1]).	12: proditor.
	liber XXIII.
	cap. 1.
h. III 67 col. II: praedantibus.	10: praedare soliti. XXII 5, 2.
	cap. 2. (* 7—12.)
C. 24, 2: factum concusserat.	1: adventus opinione concussi.

[1]) cf. XVI 1, 15 et annot.

C. 36, 5: vis morbi.	3: vis morbi.
C. 51, 9: divelli liberos a parentum conplexu.	7: uxor ab agro divelleretur.
	cap. 3.
C. 46, 2: anxius erat dubitans in maxumo scelere . . . quid facto opus esset; poenam . . . sibi oneri, inpunitatem perdundae . . . fore credebat.	6: anxius tam ambiguo periculo incertusque quid ageret . . . periculosum videbatur non traiicere, periculosius . . . deducere.
h. inc. 101: rebus supra vota fluentibus.	12: rebus supra vota fluentibus.
	cap. 4.
C. 47, 2: regnum Corneliis portendi.	8: regnum infanti portendi.
C. 43, 3. I. 7, 1: promptus manu.	11: manu promptum.
	liber XXIV.
	cap. 1.
h. I 10: dissidere inter se.	1: dissidentibus inter se.
	* cap. 3.
I. 106, 6: neque scelus inultum relinquendum.	10: nec inulta scelera fuerunt.
	cap. 4.
I. 19, 1 multitudinis domi minuendae gratia — alias urbis . . . condidere.	1: abundanti multitudine cum eos non caperent terrae — ad sedes novas quaerendas miserunt.
C. 40, 1: gens Gallica bellicosa.	4: Galli — gens bellicosa.
I. 14, 22: tibi inmaturo.	11: inmaturi iuvenis.
	cap. 5. (* 8—11.)
I. 48, 1: animi popularium temptati.	1: ad temptandos Macedonum animos.
C. 51, 9. I. 92, 3: luctu omnia compleri.	8: luctu omnia replentur.
	cap. 6. (* 6—fin.)
I. 82, 3: iam parta victoria.	1: parta victoria. XXV 2, 11.
	cap. 7.
I. 92, 4: aliam rem adgreditur.	1: rem adgrederetur.
	* cap. 8.
I. 60, 2: strepitus armorum.	6: strepitum armorum.
	liber XXV.
	cap. 1.
h. II 23, 2: ad coenam invitaverant.	5: ad cenam invitavit.
	cap. 3.
I. 84, 2: postulare legionibus subplementum.	1: supplementum militum petit.

	cap. 4.
C. 51, 16: virum fortemque strenuum.	8: filium strenuum et manu fortem.
	liber XXVI.
	cap. 1. (* 4—fin.)
I. 104, 4: quoniam paenitet.	6: quasi paeniteret.
	liber XXVII.
	cap. 2.
C. 52, 4: nihil fit relicui victis.	nec quicquam illi — residuos fortuna facit.
C. 25, 1: virilis audaciae facinora conmiserat.	7: puer virilem sumit audaciam.
	liber XXVIII.
	* cap. 2.
C. 5, 4: alieni adpetens.	7: aliena appetenda.
h. IV 61, 17: Romanos ... partum habere domum, coniuges, agros, inperium? ... convenas sine patria parentibus.	8: Quos homines Romanos esse? . . . pastores . . . ademptum solum teneant . . . uxores praeter originis dehonestamenta . . . rapuerint, . . . urbem parricidio condiderunt.
	cap. 3.
I. 21, 1: copias parat et Iugurthae obvius procedit.	2: hostibus instructo exercitu obvius processisset.
	cap. 4. (* 3—9.)
I. 94, 5: Interim omnibus Romanis hostibusque proelio intentis, magna utrimque vi pro gloria atque inperio his illis pro salute certantibus.	2: Inter duas ... gentes bellum summis utrimque viribus fuit, cum hi pro vetere gloria, illi non solum pro . . . libertate, sed etiam pro salute certarent.
	liber XXIX.
	cap. 1.
C. 54, 4: virtus enitescere posset.	9: magna subdoles virtutis enituit.
	cap. 2. (*2—6.)
‚Agitare' a Sall. adamatum.	1: Quae agitantem.
	cap. 3. (*1—5.)
C. 52, 24: dux hostium supra caput est. h. II 96, 4: hostis in cervicibus. h. III 61, 21.	7: Poeni et Annibal in cervicibus erant.
	cap. 4.
I. 44, 4: clade perculsus.	7: cladibus perculsae.
	liber XXX.
	cap. 1.
C. 54, 4. I. 89, 3: negotiis intentus.	1: rebus intento.

C. 52, 29: socordiae te atque ignaviae tradideris.	2: luxuriae se tradiderit.
I. 32, 2: secuti morem inperatoris.	regis mores secuta.
I. 5, 4: magnitudinem nominis Romani.	8: magnitudine nominis. XLII 5, 12.
I. 98, 2: dies consumptus.	dies consumit.
C. 25, 2: instrumenta luxuriae.	9: instrumenta luxuriae.
	cap. 2.
C. 51, 30: licentia crevit.	1: crescente licentia.
	cap. 3.
I. 38, 9: pax convenit.	9: pax conveniebat.
	cap. 4.
h. I 48, 7: quanto avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius.	7: tanto bellum fortius quanto libertas carior.
I. 17, 3: in parte tertia Africam posuere.	9: Africam tertiam partem mundi.
C. 21, 4: ea praedae fuerat.	12: qui praedae fuerint. XXXI 1, 1. XXXIX 5, 5.
h. IV 61, 6: fracto Philippo.	17: fractus Philippus.
	liber XXXI.
	cap. 1.
I. 31, 11: aequo animo servitutem toleratis.	8: aequo animo sub legibus vivere.
	cap. 2. (*1—5.)
C. 6, 4. I. 40, 4. 58, 2.	6: metu perculsus.
C. 49, 3: grandem pecuniam.	4: grandis pecunia.
	cap. 3.
C. 39, 4: defessis et exanguibus inperium extorqueret.	1: graviter fractum velut exanguem in regno reliquit. XXXIX 5, 6. XLI 6, 4.
C. 52, 23: inpetus fiat in vacuam rem publicam.	2: vacua possessione . . . civitates invasit.
C. 54, 4: virtus enitescere.	4: virtus enituit.
	cap. 4. —
h. I 48, 11: expers consili.	9: expertem totius consilii.
	* cap. 5.
Saepissime!	4: mortalibus[1])
	cap. 8.
C. 6, 1: Romam . . . condidere . . . Troiani . . . Aenea duce.	1: Aenean . . . Romanis . . . ab his procreatos.
I. 40, 5: insolentia ex rebus secundis.	8: secundis rebus insolescere.
C. 11, 5: loca voluptaria.	9: possessiones voluptariae.
C. 35, 3: possessiones.	

[1]) vid. pag. 30.

	liber XXXII.
	cap. 1. (*5—9.)
I. 31, 22: libertatem retinendam.	libertatem retinuerant.
C. 51, 42: parta retinemus.	
C. 51, 4: quae male consuluerint.	9: male consuetum Achaeis.
	cap. 2.
I. 94, 4: Mario vecordiam obiectare.	8: proditionem ei obiectare.
C. 48, 7: inmissum Tarquinium, ne.	9: inmittit indices.
I. 53, 7. 91, 7: admissum facinus.	facinus admittit.
	XXXVII 3, 7: admissum facinus.
	cap. 3.
I. 106, 6: insidiis circumventos.	2: insidiis circumventum. XXXVIII 9, 2.
I. 14, 11. h. II 94.	6: extorres.
	liber XXXIII.
	cap. 2. (*1—4.)
I. 82, 3: parta victoria.	4: victoriam peperere.
	liber XXXIV.
	cap. 1.
C. 22, 2: consilium suum aperuisse.	6: quid consilii habeant, aperiunt.
	cap. 4.
C. 28, 3. I. 31, 9.	2: facinus susceperant.
	liber XXXV.
	cap. 1.
I. 85, 14: novitatem meam.	1: novitati suae.
h. I 39: in regnum restituentis.	2: restituere in regnum. XXXVIII 3, 4. XXXIX 1, 1. XLII 5, 2.
	cap. 2.
I. 78, 2: uti fors tulit.	1: si ita fors tulisset.
I. 3, 2: delicta corrigas.	2: offensam correcturi.
	liber XXXVI.
	cap. 1.
I. 31, 10: incedunt per ora vostra.	4: per ora civitatium.
C. 20, 6: nosmet vindicamus in libertatem.	10: se in libertatem vindicaverunt.
	cap. 4. (*1—5.)
C. 11, 6: in Asia . . . primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare etc.	11. Asia: Romanorum facta . . . vitia Romam transmisit.
	liber XXXVII.
	cap. 4.
I. 6, 1: non se luxu neque inertiae conrumpendum dedit,	1: non in convivio, sed in campo, nec in avocationibus, sed in

sed equitare iaculari cursu cum aequalibus certare.	exercitationibus nec inter sodales, sed inter coaequales aut equo aut cursu aut viribus contendebat.
h. II 11: cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat.	
	liber XXXVIII.
	cap. 1.
h. inc. 14: ‚currum falcatorum'	8: curros falcatos.

genus a Sallustio non potuisse commomorari nisi in bello Mithridatico certum indicat Dietschius.

	cap. 2.
I. 51, 5: proelium renovare.	2: proelium renovat.
	Capp. 4—7 vid. supra.
	cap. 9. (*2–9.)
I. 48, 2: per tramites antevenit.	6: per tramites occupatum fugientem retrahit.
C. 39, 5. 47, 4: ex fuga retractus.	10. 11. XXXVIII 9, 11.
	cap. 10.
C. 11, 7. 28, 4. 52, 4. h. I 41, 15. C. 20, 3.	6: nihil reliqui . . . fuit[1].
C. 6, 4. I. 48, 1. 66, 1.	8: insidiis Antiochum temptabat.
I. 23, 1: per vim aut dolis temptare.	
I. 70, 3: dies insidiis statuitur.	die statuta per insidias.
I. 11, 2: more regio iusta . . . fecerunt.	10: exequias more regio fecit.
	liber XXXIX.
	cap. 1.
I. 64, 4. 66, 1.	3: aliena adfectat.
C. 48, 1: consilia execrari.	execrantes superbiam.
	cap. 2.
I. 73, 7: ea res frustra fuit.	4: res frustra fuit.
h. I 48, 2: pacem praestare.	9: quietem praestare.
	cap. 3. (*5–11.)
C. 11, 4: foeda crudeliora facinora facere.	7: foedum facinus facere.
	cap. 5.
h. IV 61, 17: Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convortisse.	3: fortuna Romana porrigere se ad orientalia regna, non contenta Italiae terminis.
	liber XL.
	cap. 1.
h. IV 61, 10: me bello lacessiverunt.	4: bello alium lacessere. XLIV 5, 2.

1) cf. Gerlach. ed. mai. II 2 p. 326. Laws c. III p. 6. Bruennert p. 36,

	cap. 2.
I. 3, 2: omnes rerum mutationes portendant.	1: mutationem rerum portendere.
C. 51, 10: infestos coniurationi faceret.	4: latrociniis infectam reddat.
	liber XLI.
	* cap. 1.
C. 20, 7: volgus fuimus sine gratia, sine auctoritate.	4: velut vulgus sine nomine.
vid. annot. 1!	11: profunda camporum, praerupta collium montiumque ardua.
	cap. 2.
I. 6, 1: mos gentis illius est equitare, iaculari.	5: Hos ... cura habent et equitare et sagittare docent.
h. inc. 55: more equestris proeli sumptis tergis atque redditis.	7: pugnant aut procurrentibus equis aut terga dantibus.
I. 14, 20: fugam simulare.	7: fugam simulant.
h. IV 59: equis paria operimenta erant, quae .... in modum plumae adnexuerant.	10: munimentum ipsis equisque loricae plumatae sunt.
	cap. 3.
C. 8, 5: facere quam dicere malebat.	8: ad faciendum quam ad dicendum promptiores.
	cap. 4.
h. II 67: suetum latrociniis.	7: solitus latrociniis.
C. 51, 12: magno inperio praediti.	8: imperio praeditus.
	cap. 6.
I. 76, 5: proeliis fatigati.	3: bellis fatigati. XLIII 3, 13.
	liber XLII.
	cap. 2. (* 7—fin.)
h. III 50: de ‚Iasone'	10: Armenia condita ab Armenio Iasonis comite etc.

Sallustium in descriptione Ponti dixisse apertum est.

	* cap. 3.
h. inc. 122: ‚Geryonis'	4: cum Geryone. XXXXIII 1, 9. XXXXIV 4, 14; 15; 16.

nomen apud Sallustium lectum fuisse testatur Servius ad Verg. Aen. VII 662: Sallustius ‚Geryonis' dicens.

---

[1]) Apud Sallustium saepissime adiectiva substantivorum vim habent. Gerlach. ed. mai. II 2 p. 314. cf. advorsa certaminis h. III 61, 4; humi aridum I. 48, 3; cava terrae h. II 43; extremum aestatis I. 90, 1; extremum die I. 21, 2; laeva moenium (moenia Dietsch.) h. II 19; longinqua Oceani h. I 61; multum diei I. 51, 2. Italiae plana et mollia h. IV 17. noctis plerumque I. 21, 2. 98, 6. 109, 4; oppido propinqua I. 89, 5; proxima terrae I. 78, 2. reliqua cadaverum h. III 6; ad summum montis I. 92, 2; montis extremo I. 37, 4.

	cap. 4. (* 11—13.)
I. 14, 2: omnium sceleratissumus. I. 31, 12; 21.	16: sceleratissimus omnium.
	cap. 5.
I. 100, 1: victoria insolens.	4: victoria insolentior redditus.
I. 83, 3: postulata[1])	8: postulatis cognitis.
	liber XLIII.
	cap. 1.
C. 6, 1: Romam condidere Troiani cumque eis Aborigines. 2: Hi postquam in una moenia convenere . . . coaluerint.	3: Italiae cultores primi Aboriginis. 14: Aeneas ab Ilio Troia expugnata in Italiam venit . . . in societatem regni reciperetur.
	* cap. 2.
4: populi finitimi bello temptare.	2: finitimis populis armis subiectis.
	cap. 4. (* 3—11.)
C. 31, 7: M. Tullius inquilinus.	5: Massiliensis inquilini.
I. 113, 4; 5: insidias tendit . . . insidiantibus. C. 27, 2. I. 35, 5. 61, 3.	10: insidiae tenduntur insidianti regi.
	cap. 5. (* 5—7.)
C. 31, 9: incendium restinguam.	4: ad extinguendum incendium.
I. 31, 16: curam libertatis haberetis.	12: epistularum curam habuisse.
	liber XLIV.
	cap. 2.
C. 5, 3. h. III 17.	1: ad inediam parati.
h. IV 27: inquies animi[2]). h. I 7. 48, 11; 16. II 35.	5: inquies animus.
	cap. 4. (* 2—11.)
h. II 26: Ut alii tradiderunt Tartessum, Hispaniae civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gaddir habent.	1: Saltus Tartesiorum. cap. 5. 2: Gaditani a Tyro . . . in Hispaniam transtulissent.
	cap. 4.
C. 46, 2: periculis eripere.	11: periculis ereptus.
h. II 91: frugum pabulique laetus ager.	11: tanta pabuli laetitia.

Prologi

quamquam Trogi historiarum seriem ostendentes singulorum librorum argumenta continent, tamen sunt digni, quorum non ducatur ratio. Neque enim ab ipso Trogo neque a Iustino eos esse

[1]) vid. pag. 35.
[2]) Vocabulum ‚inquies' Plauto acceptum inprimis Sallustius usu recepit. cf. Bruennert p. 44.

profectos indicandum est, quippe cum in nonnullis Iustini codicibus auctore Bernardo Montfancono non occurrant et nomen prologorum in hac, qua adhibetur, significatione barbarum phrasisque frequentata ‚in excessu' (= per digressionem) serioris latinitatis sit, unde litteratum Graeculum saecul. V fuisse scriptorem Faber probabili ratione est suspicatus[1]).

Quantopere cum Sallustio cohaereat Trogus in describendis regum Ponticorum Bosporanorumque originibus et bello piratico, id cognoscendi quamquam non nanciscemur copiam, tamen, quae huc spectant, non indicare noto.

Sall. h. II 44—48. III 39—52.	prol. XXXVII: repetitis regum Ponticorum originibus ut ultimum in Mithridatem series deducta sit. Dictae regum Bosporanorum et Colchorum origines et res gestae.
III 57—60.	prol. XXXIX: piraticum bellum, quod in Cilicia Romani per Antonium gesserunt.

Iam vero ad Trogi historiarum

fragmenta

ex aliis rerum gestarum scriptoribus praeter Iustinum hausta progrediar, quorum Bielowskius condidit collectionem non diligenter quidem cum minimam partem ad Trogum redire a Gutschmidio[2]) edoceamur, quem praeiit Osanus[3]) exemplo. Ex quibus hosce Sallustio similes locos appono, qui Trogi nexum cum florentissimo auctore primo in historia Romana artissimum supra demonstratum possunt amplius illustrare.

fragm. 4. ed. Biel.; Gutschm. p. 196 = Iord. Get. 10.

I. 110, 5: regem armis vinci quam munificentia.	armis vincere quam locorum beneficio submovere.
h. II 96. 4: hostes submovi.	
C. 51, 28: devictis Atheniensibus.	devictos Parthos.

fragm. 6 ed. Biel.; Gutschm. p. 193 = Iord. Get. 6.

h. I 48, 5. III 61, 10.	in Aegyptum usque.
I. 14, 15. 24, 2. 42, 4. 95, 3. h. IV 61, 21.	cum extinxisset.

[1]) cf. Funcii de vegeta latinae linguae senectute comm. Marburgi Cattor. 1744 p. 695.
Iustin. ed. Frotscher. II p. 504. I p. XLIX.
Ersch und Gruber Encycl. II 30 p. 39.
Gatterer l. l. p. 20.

[2]) Ueber die Glaubwürdigkeit der Fragmente etc. p. 3 sqq.

[3]) in Iahn's Iahrbücher für class. Philologie. vol. 70 p. 54 sqq.

I. 6, 1: pollens viribus.	fertilitate pollens.
h. I 23: exercitum deseruit.	deserto exercito, agmine.
I. 85, 10: vid. p. 82 ann. 3.	prosapiam.
I. 31, 25: hostis acerrumus.	acerrimi bellatores.
fragm. 8 ed. Biel.; Gutschm. p. 197 = Iord. Get. 10.	
I. 102, 13: repulsus ab amicitia.	repulsus.
C. 37, 7. h. I 48, 13. IV 34.	malum publicum.
C. 27, 2. I. 56, 1. 76, 5.	fatigatus itineribus [B., insidiis G.]
C. 58, 9: omnia nobis tuta erunt.	sibi tutum fore aliquantum.
h. III 64: locum ipsis tutum fore.	
Gutschm. p. 198 = Iord. Get. 7; 8.	
h. IV 61, 16: ab illis ad praedam petieris.	a gente temptantur in praedam cf. Iust. I 5, 6.
C. 60, 3: haut timidi resistunt.	fortiter resistunt.
I. 72, 3: adreptis armis.	arma arripuere.
I. 54, 8: sua loca defendere, in alienis bellum gerere.	propria defenderent et aliena vastarent.
I. 110, 6: fines meos tutatus sum.	fines patrios tuendo.
h. II 2: ex suo vocabulo insulae nomen dedit.	Marpessa loco nomen Marpessae dedit.
h. II 18: Valentiam praeterfluit.	Gargaram praeterfluit.
Vid. Iust. XII 4, 12 p. 80.	domuerunt.
I. 8, 1: inperio Numidiae potiretur.	Asiae regno potitae.
I. 1, 1: forte potius quam virtute.	dolo magis quam virtute.
I. 24, 7: regnum tenet.	tenuisse regnum.
Gutschm. p. 200 = Iord. Get. 10 fin.	
I. 27, 1: regis minister.	ministri insidiis.
C. 58, 8: proelium inibitis.	proelio inito.
C. 12, 5. I. 10, 7. 15, 1. 31, 23.	iniuriam facere.
I. 102, 13: partem Numidiae vastare.	cunctam Macedoniam vastare.
fragm. 44 ed. Biel.; Gutschm. p. 192 = Serv. ad Aen. III 108.	
I. 41, 7: inopia laboraret.	inopia urguebatur.
I. 18, 2: quas . . . sedes habebant.	sedes habiturum, ubi.

Restat ut fragmenta ex

libris de animalibus et de plantis

(cf. Gutschm. p. 180), qui temporis iniuria perierunt, annectamus. Attamen in iis, quae hucusque Bielowskius p. 49 et Gutschmidius p. 183 sqq. congesserunt, similitudinem quandam inter Trogum et Sallustium ut expediam mihi non contigit.

Quod si haec mea opella, postquam ad finem comparationis Sallustii Trogique pervenimus, ad comprobandam sententiam in fronte totius dissertationis positam et ad incipiendam de studiis Sallustianis quaestionem accuratam ac librorum historiam condendam contulerit vereque nobis ex iudicio lectorum, quod voluimus, contigerit, mihi ut reliquos deinceps persequar auctores stimulos admotum iri sane quam gratulabor.

Add. ad pag. 17 sqq.

Iam dissertatiuncula mea consummata erat, cum et Friderici Vogel quaestion. Sallustianarum pars II in actis seminarii Erlangensis Erlangae 1881 et Franc. Seck de Pompeii Trogi sermone I Constantiae 1881 mihi in conspectum darentur.

VITA.

Natus sum Henricus Iulius Sellge anno h. s. LVII a. d. VII Cal. Iun. Sagani patre Arminio, matre Arminia e gente Schulz, quibus adhuc superstitibus gaudere mihi licet. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis in publico ludo imbutus puer novem annorum a. h. s. LXVI gymnasium adii Saganense catholicum, in quo receptus sum a v. d. Floegel tunc directore. Gratias debere non desinam quam maximas v. d. de Karwowski, qui cum studiorum amorem mihi excitavit, tum fautor est benignissimus. Gymnasio usque ad annum duodevicesimum frequentato maturitatis testimonio instructus a. h. s. LXXV, quo v. cl. Kayser directoris munus susceperat, hanc Universitatem literarum Viadrinam petii studiis philologicis navaturus. Ab eo, qui tum fasces tenebat, v. ill. Galle, in civium academicorum numerum receptus adhuc usque intermisso anno, quo stipendia sum meritus, scholis philologicis, philosophis, archaeologicis, historicis, quas habuerunt viri doctissimi et humanissimi Bobertag, Dilthey, Freudenthal, Hertz, Iunkmann, Neumann, Partsch, Reifferscheid, Rossbach, Strasser, Weber, Weinhold maxima cum utilitate usus sum. V. d. Hertzii benevolentia mihi contigit, ut seminarii philologici sodalis factus per ter sex menses interessem exercitationibus, quas moderabantur vv. dd. Reifferscheid et Rossbach. Praeterea id potissimum egi, ut studia archaeologica diligenter tractarem; per octo semestria adfui exercitationibus a v. d. Rossbachio institutis, qui custodem quoque musei archaeologici me fecit.

Praeceptoribus meis, imprimis vv. ill. M. Hertz, A. Reifferscheid, A. Rossbach, qui egregie de me sunt meriti et consilio operaque me adiuverunt, gratias ago quam possum maximas et uniuscuiusque beneficiorum memorem me praebere pio gratoque animo studebo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Liv. XXII 4, 4 scripsisse mihi videtur: ab tergo ac super caput haud detectae insidiae.
2. Flor. II 17; 108, 9 (ed. Iahn) = IV 7, 3 (ed. prior.) sic mutaverim: displicuit ultio; quin Ciceronis consiliis abolitio poenae decreta sc. est. Ne tamen etc.
3. Flor. II 18; 110, 1 (ed. Iahn) = IV 8 (ed. prior.) restituo ‚hic se piratica turba tuebatur. turpiter Puteolos .... populatus est.'

   Codex Bamberg. praebet:

   .... ‚hic se piratica turbatur per puteolos ...... populatus est'.
4. — ib. 110, 5 ‚praebendi' in ‚praedandi' emendaverim.
5. — ib. 110, 10 coniicio: Quam nimium sed breve gaudium fuit, cum in Baiani litoris mole de reditu eius .... convenit. Tumque invitante ipso in nave discubitum est. Sed ille sortem suam increpitans .... carinae meae aut incomiter, quod e. q. s.
6. — ib. 110, 19 pro ‚iuille' lego ‚iit ille'.
7. Non recte iudicant ii, qui quomodo et ubi statuae illae marmoreae Niobae liberorumque olim statutae sint, se cognovisse existimant. Haec enim quaestio adhuc disceptari nequit.
8. Statuae marmoreae, quae Madriti in regia ‚San Ildefonso' cernuntur [cf. Huebner antike Bildwerke in Madrid = Mus. arch. Vratisl. n. 324], sic explicandae sunt: Antinous Mercurio comitante mortem pro Hadriano occubiturus.
9. In pictura hydriae (calpeos) fictilis fig. flav., quae asservatur sub n. 844 in mus. Berol. [Gerhard etrusc und campan. Vasenbilder tab. VI], repraesentatur Bacchus cum Ariadne congregatus coram Theseo, quem Minerva abire iubet. Schol. Odyss. XI 321 unus est locus, ubi eadem memoria de Ariadne prodita est.
10. In aversa parte amphorae fictilis n. 1601 mus. Berol. [Gerhard tab. IX] sileni sinistra manus chordas tangit, dextera plectro pulsat. Pro *ΟΡΟ+ΑΡΤΕΣ* *δροχαρης* legendum est.

DE SALLUSTII CATILINA.

PARS I.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDIT

VALERIUS FELKE

PALAEOMARCHUS.

MONASTERII GUESTF.
EX TYPOGRAPHIA IOANNIS BREDT.
MDCCCXCIV.

C. Sallustii Crispi de coniuratione Catilinae liber, cum gravitate materiae, tum splendore dictionis insignis, omnibus temporibus summam et scriptori laudem et legenti voluptatem comparavit. Atque Sallustii fides multa per saecula nemini dubia iam in controversiam vocari coepta est, cum non raro ab aliis eiusdem rei auctoribus discrepet; neque vero defuerunt, qui eum defendere studerent. Sed et adversariorum et admiratorum diligentia in eis potissimum rebus explicandis videtur consumpta esse, quas alii illi auctores aliter atque Sallustius rettulerunt, continentem autem totius libri diiudicationem, ex qua sola cognoscere possumus, utrum scriptor in libro scribendo ex antiquorum librorum fonte hauserit, habemus nullam. Nam quae Fridericus Baur in actis doctarum regni Wurtembergii scholarum*) doctissime exposuit, haec ad defendendum Sallustium scripta esse ipse profitetur; quaestio autem „sine ira ac studio“ instituenda erat, si verum indagare studebat. Omni vel defendendi vel vituperandi cura res obscurior fit, non clarior; itaque ut recte videamus, quae sit ratio scriptoris, omnem librum sine ulla praeiudicatione percurrere oportet.

1—13. Ac primis tredecim capitibus de communi morum corruptione questus Sallustius de coniuratione ipsa nihil fere narrat, praeterquam quod capite quinto de Catilina paucula affert. Neque vero quae hoc loco de moribus et ingenio Sergii scripta sunt, magna cum diligentia composita videntur, cum tota libri introductio more scriptorum cursim scripta sit; praeterea infra videbimus, omnem Catilinae indolem a Sallustio ita institutam esse, ut omnis coniuratio inde derivari possit. Fortasse

*) Programm der Würtemberger Gelehrtenschulen 1868—70.

etiam 'ex eventu' Catilinae mores descripti sunt; si enim abruptum scribendi modum contemplamur, facile credimus, nonnulla ab auctore, cum opere perfecto omnia iterum perlegeret, interposita esse; fortasse tota introductio, ut saepe fit, post opus ipsum composita est. De rebus autem ad vitam Sergii pertinentibus sua inventa habet nulla; Catilinae condicio eruditissimo cuique ex Ciceronis orationibus pariter in memoria erat. Catilinam „nobili genere natum" fuisse adeo non ignotum erat, ut Vergilius (Aen. V. 121) non dubitaret, gentem Sergiam a Sergeste, comite Aeneae, deducere*). Item cetera, quae de adulescentia vitiosa, de iuventute scelesta, de exercitationibus corporis refert, neque admodum recondita neque Romae inusitata erant. Itaque hoc uno a Cicerone differt, quod ingentibus animi viribus Catilinam exornat, quo ex fonte postea omnis coniuratio apud eum emanat.

Capitibus 6—13 Sallustius historiam rerum Romanarum breviter enarrat, *sicut ipse accepit;* unde apparet, cum ne ipsum quidem hanc veterum temporum laudem magni momenti putavisse, sed cursim rettulisse, quae de eis rebus praesto habebat. —

In concipienda parte insequenti, sicut in toto libro, summi momenti esse Wirzius**) bene docet, quod Catilina, qualis est apud Sallustium, inde ab adulescentiae temporibus (cfr. cap. 5) dominationem spectaverit; quam Wirzii sententiam a Johno***) quoque probatam multisque argumentis fultam videmus. Hoc imprimis interest inter Ciceronem et Sallustium. Atque sunt, qui dicant *post dominationem L. Sullae* intellegendum esse „multis annis post", sed Sallustii ipsius narratio eiusmodi longum intervallum non patitur: ex moribus satellitis Sullani omnia apud eum proveniunt. Atqui Catilina tum vix triginta annos

*) Quae res sine dubio a Vergilio primo ficta est; nam si Romae eius modi fama fuisset, Sallustius transiens ad cap. VI, ubi ipse quoque de Romae primordiis agit, eius mentionem fecisset.

**) in utili libello Catilinas Bewerbung um den Konsulat 63, pag. 32.

***) libro copioso die Entstehungsgeschichte der Catilinarischen Verschwörung.

natus erat (vid. tabulam chronologicam in editione Kritzii); quomodo homo adulescens, et peritia et iudicio immaturus, sperare potuit, se acquiparaturum esse talem virum, qualis erat Sulla? Sallustius ipse eum illis temporibus nebulonem fuisse refert, et id suo iure, cum post tot rapinas homo rapacissimus etiam aere alieno obrutus esset. Si revera Catilina iam tum summam potentiam petivisset, M. Crassum imitatus esset, qui eis ipsis temporibus comportabat tantam pecuniam, ut Caesari diu par videretur; sed procul aberat ab illa *reipublicae capiundae lubidine,* quam ei infuisse Sallustius affirmat. Quod practerea narrat, Catilinam alteram rapinarum aetatem denuo instituere studuisse, hoc credibile fit verbis *ut labentibus suis rebus subveniret;* neque vero Catilinae penuria tam ignota erat, ut hoc argumentum historicis ex fontibus tractum videatur. Quod autem mala conscientia agitatum Sergium ad scelus se vertisse censet, hoc referendum est ad illam opinionem, omnia ex eius ingenio derivanda esse; similiter saepissime Sallustius res difficiles motu animi et conscientiae interpretari studet.*) Revera autem Romani illius aetatis et imprimis Catilina mediis in sceleribus mira conscientiae tranquillitate erant. — Id quod tertio loco Sergium ad rempublicam evertendam commovisse dicitur, *mali mores corruptae civitatis*, sine dubio coniurationi felicissimum accidit, neque vero satis patere videtur, utrum ille, qui ipse omnium perditissimus erat, eius corruptionis scite rationem habuerit, an casus eum cum pravis hominibus coniunxerit. Apud Ciceronem cupiditatibus voluptatibusque Catilina prorsus agitur; Sallustius cum virum suum inlustriorem reddere cupiat, eum imperandi cupidine instimulatum esse dicit; quae praciudicata opinio per totum librum varias auctori difficultates praebuit. — Sic initio capitis

14 scriptum videmus, Catilinam paulo post Sullae dominationem — nam usque ad id tempus Sallustius Sergium capite 5 prosecutus erat — consulte et considerate corruptelarum

*) Baur invenit „psychologischen Pragmatismus“.

illecebris irretivisse delicatam iuventutem, ut factionem sibi pararet. Eadem fere Cicero tradidit et in enumeratione eorum, qui Catilinam sequebantur, ad verbum paene Sallustius cum Tullio consentit. Sed id, quod Cicero anno sexagesimo tertio a. Ch. n. factum esse pro certo affirmat (Cat. II. 7, 10), a Sallustio aliquanto prius ponitur; utri potius credendum sit, infra demonstrabimus; non pauci sunt, qui ex hoc loco concluserunt, Sallustium in scribendo Ciceronis orationes semper in manibus habuisse, praesertim cum mediocri intervallo iterum Tulli ipsius verba inveniantur. Narrat enim Sallustius cap. 15, Catilinam *necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse,* quod idem apud illum (Cat. I. 10) scriptum est. Wirzius (pag. 33) et Duebi in dissertatione „De Catilinae Sallustiani fontibus ac fide“ haec ex Ciceronis oratione transscripta esse censent. Sed si verum viderunt, etiam magis Sallustius vituperandus est, qui has quoque nuptias, quas anno 690/64 factas esse constat, annis nonnullis anticipaverit. Diligentia et fides Sallustii maior certe videtur, si arbitramur, eum Ciceronis orationibus antea non perlectis scripsisse atque necem filii hic posuisse inductum eis, quae de conscientia *mentem excitante* hoc ipso loco explicaverit; verba autem tam singulariter a Cicerone dicta *domum nuptiis vacuefacere* etiam sine nova orationum pellectione in mente Sallustii haesisse haud ita mirum est.

16. Sequitur descriptio Catilinae summa arte confecta, quae quamvis admodum rhetorice scripta sit, tamen tantum veritatis in se habet, ut Drumann et Mommsen, doctissimi profecto viri, non dubitaverint, eam in libros suos notissimos recipere, arbitrati fortasse, Sallustium ex adulescentiae temporibus hanc Sergii imaginem memoria tenuisse. Equidem haud scio, an non hoc quoque ab auctore scriptum sit, quia coniuratione tot per annos distracta Sallustius ignoravit, quomodo tam longum spatium expleret. Eadem de causa stuprum quoque cum Fabia virgine Vestali commissum hoc loco videtur positum esse; erat ea causa celeberrima ante iudices anno 681/73, multis annis antequam Catilina in provinciam abiret,

nedum coniurationem moliretur. F. Baur Sallustium tueri studet, cum dicit, optimo iure similia eodem loco narrari; quae opinio staret, si ex omnibus rebus narratis una suo loco posita esset, sed cum ubique auctor in temporibus valde erraverit, illum falli opinione sua liquet. Immo Sallustius ipse videtur sensisse, sibi parum materiae suppetere; itaque satis copiose exponit, quaenam ad propagandam coniurationem susceperit. Et satis scite res a Sergio occultissime gestas sibi composuit; fidem tamen transcendit, quod scribit, *si causa peccandi minus suppetisset, nihilominus insontes sicuti sontes circumventos esse, ne torpescerent manus* coniuratorum. Nam quo pacto homo ingeniosus, ut Sallustius eum describit, tam temere omnium oculos in se convertisset, cum quam maxime in umbra versari prudentius fuisset. Multo credibilius Cicero, apud quem minoris ingenii Sergius est, in tertia oratione exponit, quam provide cauteque ille egerit. Ceterum ne veri quidem simile est, tantam catervam illi se applicavisse ignaram, quid spectaret; solum scelus tot inquietos animos sub uno duce vix tamdiu continuisset.

Hactenus Sallustius tractavit ea, quae ante coniurationem rite initam facta esse opinatur; parata sunt omnia ad conspirandum; manus ad atrocissima quaeque et prompta et coacta praesto est; miseria et insatietas plebis infimae in dies crescunt; omnium turbidissimi sunt veterani Sullae, genus rapax et bellicosum, cuiusvis signa sequi paratissimum; senatus otio inerti indulget; Pompeius, qui unus rempublicam sustinere posse videbatur, procul in Asia versatur; denique omnia mire opportuna sunt. Sed Catilina, quem audacissimum fuisse Sallustius modo narravit, in tanta prosperitate — consulatum petit. Neque hoc loco de muneribus, quibus antea functus erat, neque de administratione Africae provinciae, unde repetundarum causa Catilinae instabat, paucula Sallustius dicit. Baur eas res minoris momenti esse affirmat, quam quae singillatim commemorentur, sed irrita est defensio, cum eaedem res capite 18 inveniantur. Revera Sallustius non novit rerum continuationem, qualis ex aliis fontibus constat: Catilina medio fere anno 688/66 e pro-

vincia reversus statim consulatum petere constituit, cum consules in annum 689 65 designati de vi condemnati omnibusque honoribus orbati essent. Neque vero Catilinae petitio senatui grata acceptaque erat; itaque cum legati ex Africa venirent questum de eius avaritia, etsi causa non instruebatur vel fortasse, quia instituenda erat, Catilina prohibitus est, quominus peteret. Ac cum insequenti anno alia de causa, quam infra cognoscemus, iterum petere nequiret, tandem anno 690 64 nomen professus erat. Quae tanta dilatio petitionis cum Catilinae vehementissime stomachum moveret, quodammodo origo coniurationis videtur eaque de causa hoc loco a Sallustio memoranda erat, si rerum nexum bene explicare studebat. Qui nescio an idcirco a petitione anni 690 64 orsus sit, quod ante hunc annum Catilinam Romae omnium in ore versatum esse ex adulescentia sua non meminerat.

17. Apud Sallustium petitio una cum coniuratione a Sergio agitur; qua in re mirum esset, nisi vidisset, coniuratione petitionem magis impeditam, quam adiutam fore; sed ut res coepta, ita ad finem quoque Sallustio ducenda est, quantascunque difficultates ea rerum inter se repugnatio affert. Ambitionem igitur simulans singulos Sergius tentat; ubi satis explorata res est, *omnis in unum convocat, quibus plurumum audaciae inerat;* — at eos iam pridem cum Catilina coniunctos fuisse, Sallustius ipse docet. Praeterea incredibile est, tam periculosam rem a Sergio in concione paene publica tractatam esse, praesertim cum ante iusiurandum dubium esset, an omnes, qui adessent, fidem servaturi essent. Neque enim occulta videtur concio fuisse, cum Sallustius nomina multorum, quos adfuisse dicit, enumerare possit. Sed perlustremus ipsa haec nomina eorum, quibus *mala abunde omnia, sed neque res neque spes bona ulla erat*, si Sallustium auctorem sequimur. Primum invenimus P. Lentulum Suram, consulem anni 683/71, qui postea nota censoria senatu motus Cicerone consule iterum praetura functus est; ergo anno ante vix magna in miseria versari potuit, cum petitionis sumptus non mediocres essent; praeterea constat, cum coniuratione non divitias sed regnum sibi paraturum

fuisse. — Deinde P. Autronius Paetus nominatur et paulo post P. Cornelius Sulla, qui in annum 689/65 consules designati, ut supra memoratum est, dignitate sua privati erant. Quorum ex calamitate cum Catilina fructum capere studuisset, mirum esset, si tum eum adiuvissent; vix quoque quisquam credat, Sullam, cuius patruus erat Sulla ille dictator, commodis hominis praetorii inservivisse, qui insuper Sullae Felicis satelles fuerat. Ciceronis ex oratione, quam eodem fere tempore pro Sulla habuit, videmus, eum nec temerarium nimisve audacem, neque aere alieno obrutum fuisse, cum sub dominatione patrui proscriptorum bona ea aviditate arripuisset, ut in numerum ditissimorum negotiatorum referretur; stulte igitur egisset, si pro Catilina periculum subiisset. Servium autem Sullam, quem coniurationi favisse ne suspicio quidem est, non inepte Wirzius (pag. 40) conicit una cum fratris nomine a Sallustio in coniuratorum tabulas receptum esse. — L. Cassius Longinus, cuius adipem Cicero (Cat. III. 7, 16) illudit, quamvis piger et torpidus in obesitate sua fuerit, huic tamen consilio nullo pacto interesse potuit, cum Catilinae in consulatu competitor esset;*) Sallustium hoc ignoravisse liquet, neque vero in re, sed in temporibus ut saepe errat, nam post repulsam Cassius cum Sergio se coniunxit. Ceteri, quos enumerat auctor, praeter Q. Annium ex Ciceronis orationibus noti sunt: C. Cethegus, L. Vargunteius, M. Porcius Laeca in eis erant, qui senatus consulto propter hanc ipsam rem condemnabantur; L. Calpurnius Bestia rixans est ille tribunus, qui Ciceronem, cum magistratu se abdicaret, ad populum dicere vetuit. Q. Annius quis fuerit, dubium est, cum Sallustius unus hoc nomen inter coniuratos tradiderit; ac facile gentis Anniae quidam coniuratus fuit, neque tamen suspicio penitus abest, id ipsum nomen inter coniuratos ab auctore positum esse, quia inde a. T. Anni Milonis causa simultas acerbissima inter eum et Annios erat. De Q. Curio plurimum apud Sallustium ipsum scriptum est, ubi narrat, quomodo deprehensa sit coniuratio. Hi omnes senatores sunt,

*) cfr. Hagen, Catilina, Königsberg 1854.

ex equitibus L. Statilium, P. Gabinium, C. Cornelium Ciceronis orationibus cognitos habemus, M. Fulvius Nobilior autem quomodo hoc loco nominari potuerit, occultum est. Tam clara de gente si quis ad Catilinam se applicavisset, omnes, qui de coniuratione scripserunt, eius mentionem fecissent. Placet igitur, quod Wirzius (pag. 53) coniecit, hunc Fulvium esse eundem, quem cap. 39, 5 invenimus, vocabulum autem *Nobilior* marginali nota *nobilis* legentis alicuius irrepsisse. — Hos cives Romanos affuisse Sallustius refert; at plurimos horum non in numero eorum fuisse, quos antea, Catilina *multis modis mala facinora edocu*erat, manifestum est. Tot autem viros, quorum pars Sergium auctoritate longe superabat, inter ambiendum tanquam per ludum ab eo persuadendo captos esse, per se ipsum parum fidei habet. Quod autem pergit, multos *ex coloniis et municipiis domi nobiles* ea in contione affuisse, sine dubio falsum est. Quo pacto hi homines Kalendis Iuniis, duos paene menses ante comitia consularia, Romam veniebant? An paucis turbulentisque ambitionis diebus venenum coniurationis usque in ultima Italiae municipia prorepsit, cum Romae in urbe nondum transacta res esset? Nonne mores et ingenia procerum rusticorum omnibus temporibus a violenta eversione vehementer abhorruerunt? Itaque quae Sallustius narrat, ut res a primis initiis in amplum extensa videatur, non satis credibilia sunt. Non pauci quidem Sallustii tabulam defendere conati sunt, sed oleum et operam perdiderunt. Verum hoc unum est, Sallustium, quoniam ad enumerandos coniuratos adierit, plenum numerum eorum, quos interfuisse compererat, collocavisse et concionem ipsum invenisse, quo efficacius rem instrueret. Baur monet, multas certo conciones illis temporibus de consulibus creandis habitas esse; concedamus, sed haec Sallustii concio cum illis comparari non potest. — Magis quam haec omnia animum attrahunt ea, quae Sallustius refert de nobilitate et imprimis de potentissimis in republica viris, qui „inceptis Catilinae favisse“ dicuntur; sic enim Hagen verba *consili huiusce participes* bene interpretatur, cum eos praesentes affuisse haud probabile sit. Nunquam magni

illi viri tam arte cum Catilina se coniunxissent, cuius auxilium in consiliis suis exequendis, non consuetudinem petebant. Attamen quaerendum est, quinam fuerint illi, quos *dominationis spes hortabatur;* virum unum, qui tum tale quiddam sperare potuisset, Cn. Pompeium, in eis non fuisse apparet, cum in Asia esset. Optimates autem cum omnem rempublicam in manibus tenerent, nil habebant, cur rempublicam evertere cuperent. Ne popularium quidem duces, qui Sullae dictatura oppressi erant, Sallustius intellegere videtur, cum Crassi nomen postea ipsum nominetur, Caesaris autem, si quam habuit, cum Catilina coniunctionem scriptor velare studeat. Incertum igitur est, quos illis verbis Sallustius significaverit; fortasse scriptor ipse ignoravit. — Quae de M. Crasso narrantur, etiamsi vera sint, tamen difficultatem quandam habent, si Catilina revera *post dominationem Sullae lubidine reipublicae capiundae* captus erat; neque enim aemulum Crassus vir cautissimus adiuvisset. Ceterum si hunc nominabat, Caesarem quoque, qui hac in re magis quam ille haerere videtur, tacere non debebat. Non immerito Sallustio opprobrio datur, quod Caesarem, cui gratiam debebat, excusare studet, Crassum propemodum accusat.

18. 19. Capita enim insequentia duo de coniuratione anni 688/66 scripta sunt, quae tota ab Crasso conflata apud Sallustium videtur. In narratione tam multa obscura sunt, ut bene Wirzius monuisse videtur, „brevitatem“ scriptori hoc loco vitio dandam esse. Atque quam non sufficiant, quae Sallustius exponit, vel inde apparet, quod ne unus quidem eorum, qui postea de eadem re scripserunt, Sallustium secutus est, quamquam omnibus Sallustii commentarius in manibus fuit; Livii epitomae, Suetonii vita Caesaris, Cassii Dionis historiae cum Sallustio non consentiunt. Hagen Sallustii narrationem tam inepte conceptam esse censet, ut a scriptore ficta esse nullo modo possit, ergo eam ita depravatam — in fontibus ab eo inventam esse. Stupenda profecto eiusmodi interpretatio et ad quaslibet ineptias excusandas apta est; Sallusti facultates ingenii nullae essent, si „fontibus“ adeo credidisset, ut nugas manifestas inde reciperet. Iam minus monstruose rem explicemus.

Item pauci coniuravere Sallustius orditur, *in quibus Catilina fuit.* Quodsi vocabulo *item* similitudo quaedam significatur, hoc loco non usurpandum erat; Sallustii ipsius narratio, etiamsi perversa sit, non dubium relinquit, quin haec coniuratio non eversionem reipublicae, sed mortem consulum spectaverit. Cum igitur utraque coniuratio pariter aestimari nequeat, *item* ad Crassum respicere videtur, quem modo nominaverat; quod si credimus, *pauci* sunt viri magnae in republica auctoritatis, inter quos Catilinae locus non erat. Qui si revera inde a morte Sullae seditionem paraverat, certo nunquam cum talibus viribus se coniunxisset, qui potentia et auctoritate eum adeo superabant, ut sine dubio ei fructum laborum erepturi esse viderentur. Sed ea ipsa ex re quod ex hac coniuratione fructum nullum cepit, facile intellegimus, eum non excellentem fuisse praeter ceteros coniuratos. Sallustius autem cum persuasum haberet, eum et summis animi viribus praeditum et manu sceleratorum circumstipatum fuisse, ubique eum in primorum numero posuit. Neque eum fugit, interdum minus probabilia a se referri, itaque cum alias, tum hic inserit verba *quam verissume potero* vel similia quaedam, quibus non opus esset, si narratio in se continens esset. Hagen censet, eis verbis Sallustium monuisse, ne nimia sibi fides habeatur; quae interpretatio mira profecto videtur, cum non pluribus verbis auctor plane dicere posset, se nihil certi de ea re compertum habere. Etiam magis miranda sunt, quae Baur in actis gymnasii sui*) copiose exponit: Sallustium, cuius grata in Caesarem mens nemini ignota fuerit, haec verba scripsisse, ne quis opinetur, se Caesari nimis favere; inconveniens profecto ea defensio, cum sufficiat Caesaris nomen proferre, ut intellegamus Sallustium non sine ira ac studio scripsisse. Totus enim anni 66 tumultus tam manifesto Caesaris opus erat, ut omnis narratio, quae eum silentio praetermittit, non solum manca videatur, sed ad id ipsum scripta, ut Caesar excusetur. Quem cum Sallustius nominare nolit, de Crasso quoque tacet;

*) Programm des Gymnasiums zu Buchsweiler, 1875, S. 10.

multis tamen conexio huius capitis vocabulo *item* facta satis perspicua erat, ut Crassum intellegerent, de quo in fine capitis 17 actum erat. Atque cap. 19, ubi de Pisonis provincia scribit, Sallustius animum inducere non potest, quin praetereat, quomodo ille a Crasso adiutus sit. At magna familiaritas inter Crassum, virum consularem divitissimum et Pisonem quaestorem aere alieno obrutum non credibilis est; immo constat, Caesarem, qui tum aedilis erat, non sine studio quodam cum audaci illo homine consuetudinem habuisse. Verisimile igitur est, eum non minus quam Crassum operam dedisse, ut Piso in Hispaniam mitteretur. Multi Sallustium tueri studuerunt dicentes, eo tempore, quo scripserit, nullam iam fuisse causam, cur Caesari parceret; recte hi quidem, sed ea re maior fit Sallustii licentia, non veritas, cum dubitari omnino nequeat, quin hoc loco aliquantulum de vero declinaverit, etiamsi pollicitus sit, se narraturum esse, *quam verissume* possit.

18, 3. Calamitate Autronii et Sullae breviter exposita Sallustius pergit, Catilinam repetundarum reum consulatum petere non potuisse; hoc loco auctorem in temporibus erravisse, supra memoratum est. Nondum accusatus erat Sergius, et causam ipsam duodecim mensibus post institutam esse infra videbimus. — Quae de Pisonis ingenio scripta sunt, adeo monent de eis, quae de Catilina dicta erant, ut certa quaedam omnium coniuratorum imago Sallustii animo se impressisse videatur. Facile intellegitur, Catilinam a Sallustio maiore indole exornatum esse, quam Pisonem; eo magis mirum est, quod Pisoni, non Catilinae, quem summi in coniuratione momenti fuisse scriptor affirmat, provincia data est. Haud scio an revera Piso in hac coniuratione plus valuerit, quam Catilina; quantum in illo fuerit ingenii, optime cognoscitur ex inimicitiis inter eum et Cn. Pompeium, qui Catilinam odio suo vix dignatus esset. Apud Sallustium autem Piso Autronii et Catilinae satelles est.

Atque cum tot res in Sallustii narratione non liquecant, iam mirum non est, si de coniuratione, quae paucis annis post in Sullae defensione Ciceroni et Hortensio, maxime in ea re

indaganda versatis, obscura erat, viginti annis post vel minima accuratissime cognita habet. *Circiter Nonas Decembris consilio communicato parabant Catilina et Autronius in Capitolio Kal. Ianuariis L. Cottam et L. Torquatum consules interficere, ipsi fascibus correptis Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere.*

Et diem igitur consilii et ipsum consilium Sallustius novit. Sed minus credibile est, Autronium, qui cum Sulla et creatus et damnatus erat, cum Catilina ad tale facinus se coniunxisse. Quae de fascibus corripiendis narrantur, multo magis convenientia essent, si una cum Sulla Autronius consulatum sibi arrogare conatus esset. Horum uterque satiata vulgi aviditate comitiis consularibus creatus erat; fortasse plebs iterum corrupta adversus praetoris iudicium voluntatem suam obtinuisset. Catilinam vero, qui nullis beneficiis populo se commendaverat, propter solas fasces nemo consulem agnovisset. Ac porro incredibile non est, Pisonem operae suae praemium Hispaniam provinciam poposcisse, sed cur ei cum provincia exercitum quoque daturi erant novi consules? An hi spurii, ut ita dicam, consules Pisonis milites sibi adiumento futuros esse putabant? Nullo pacto exercitus in Hispania eis prodesse potuit; sed infra videbimus, qua de causa Pisoni quaestori exercitus consularis mandatus sit.

Pergit Sallustius *Ea re cognita* — crederes coniuratos illico carcere conclusos esse, sed scriptum est: *rursus in Nonas Februarias consilium transtulerunt.* Si coniuratio ante Kalendas Ianuarias manifesta facta est, vix cogitari potest, consules eius anni periculum eorum, qui in annum 65 designati erant, ita neglexisse, ut coniuratos non punirent. Sin ipsis Kalendis res patefacta est, nemini persuadebitur, novos consules in ipsorum periculo persequendo tam segnes fuisse. Tanta in securitate fieri non potuit, ut coniurati de proposito suo desisterent: *iam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur.* Neque respublica consulum vigilantia, sed casu servatur; *ni Catilina maturasset pro curia signum*

sociis dare, eo die post urbem conditam pessimum facinus patratum foret. Putares, tum demum indignatione universae civitatis contusos esse tam pertinaces in coniurando homines, sed Sallustius affirmat, nonnullis eorum, tanquam bene de republica meruissent, praemia insuper decreta esse. *Postea Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est.* Pisoni igitur senatus dedit, quod Catilina et Autronius promiserant; neque timore senatus coactus esse potest, cum paulo ante Catilinam ipsum sine ulla dubitatione a petitione consulatus excluserit. Sallustius ipse videtur sentire, narratio sua quam non sufficiat; itaque coactus est concedere, Pisonem *annitente* Crasso, de quo ad id tacuerat, missum esse in provinciam. Ac cum adiciat, illum Pisoni favisse, *quod eum infestum inimicum Cn. Pompeio cognovisset*, ipse testis est, se non ignoravisse, quomodo res se habuerit, sed vera profiteri noluisse, cum opinio sua praeiudicata cum veritate aperte repugnaret. Non coniuratos, sed Cn. Pompeium, *cuius iam tum potentia formidolosa erat,* et optimates et populares metuebant, non coniurato Pisoni, sed inimico Pompeii exercitus datus est. Quae enim praeterea videmus: *quippe senatus foedum hominem a republica procul esse volebat,* seria non sunt, nam caeci fuissent senatores, si in removendis *foedis* hominibus Pisonem potius, quam Catilinam expulissent. De Catilina autem, qui totam rem conspirasse dicitur, nihil amplius audimus; de nece Pisonis agitur, quem Pompeii iussu obtruncatum esse Sallustius libenter credit. —

De *superiore coniuratione satis dictum* esse, nescio an nemo auctori concedat. Res obscura esset, nisi ex libris illis supra memoratis eam illustrare possemus. Livius et Suetonius Ciceronem secuti sunt, et horum narrationem Cassius Dio, qui et vitae conditione et historica quadam intellegentia ad rem diiudicandam idoneus erat, Sallustii libro anteposuit. Ac Suetonius quattuor praeterea auctores nominat, in quibus Bibulum, cuius edictis manifesta mendacia inesse non poterant, cum ipse ridiculum se reddidisset, si ne veris quidem criminationibus

Caesarem adortus esset. Certissima de tota re sunt ea, quae ex Ciceronis orationibus haurimus; nam etsi oratori et dicenda erant et tacenda, quae accusatis profutura esse censebat, tamen id, quod in defensione ille spectat, semper tam perspicuum est, ut facile dignoscamus, utrum rhetoris an referentis in modum dicat. Sic ex eius pro Sulla oratione, quamvis eum absolvere omni suspicione studeat, tam luculenter apparet, Sullam coniurationi anni 66 interfuisse, ut Cassius Dio non dubitet affirmare, Sullam et Autronium consulatum sibi arrogaturos fuisse. Qua in re non videtur erravisse, nam incredibili certe lentitudine Sulla fuisset, si alium quendam cum suo collega fasces arripientem adiuvisset. Item Sulla cum Autronio coniunctus erat odio novorum consulum, nam post eorum damnationem accusatores ipsi creati erant. Atque cum Autronius et Sulla consulibus vim manifestam inferre non auderent, audacissimum quemque ambibant, in quibus Piso magis spectatus erat, quam Catilina, qui modo ex Africa reverterat. Item Dio narrat, senatum *re patefacta* non neglexisse periculum, sed consulibus designatis praesidium armatorum dedisse, quorum interventione consules Kalendis Ianuariis servati sint. Pisonem arrogantissime se gessisse fretum potentia eorum, quibus nitebatur; hac de causa senatum ei provinciam dedisse.

Haec narratio in omnibus rebus, quae ad Sullam attinent, in se continens est; qui etsi absolutus erat defensione Ciceronis, tamen ex oratione ipsa apparet, eum coniuratum fuisse. Sallustius Sullam non interfuisse credere maluit, quia aliter praeiudicatam illam opinionem suam tenere non potuit; itaque simulavit, se putare, illum argumentis, non auctoritate Ciceronis liberatum esse. Neque vero ea re effecit, ut minus secum ipse repugnare videretur.

Suetonius non dubitat Caesarem principem coniurationis nominare; contra Pompeium igitur, non contra rempublicam nitebantur coniurati, quod comprobatum videtur Sallustii ipsius verbis: *iam tum potentia Pompeii formidolosa erat*. Autronius, Sulla, Catilina, Piso omnes non principes, sed participes

coniurationis erant, in quibus plurimum valuisse Piso videtur, quem Sallustius minimum fuisse censet, etiamsi eum unum pretium nanctum esse narret. Atque Pisonis copiae, quae in Hispania inutiles fuissent Catilinae et Autronio, Caesari contra Pompeium utilissimae erant, cum prius Romam venire possent, quam Pompeius ex Asia. Quae omnia Sallustium fugere non poterant, sed narrationem suam corrigere noluit*) et idcirco credit, quae Cicero in oratione Sullana composuit. Attamen ex Ciceronis ad Pompeium epistula de consulatu suo verum cognoscere potuit. Sunt qui dicant, Ciceronem in ea epistula ad maiorem laudem impetrandam res falso descripsisse, sed errant, quamvis hoc opprobrium a Tullio non alienum videatur. Si enim Catilina cum Autronio fasces arrepturus fuisset, sine dubio Cicero in oratione, quam habuit in toga candida, ubi competitorem Catilinam perstringit, hoc ei crimini dedisset. Hoc constat, Sullam collegam Autronii futurum fuisse. Hagen Sallustium tueri studet, cum dicit, usque ad Kalendas Ianuarias Sullam, postea Catilinam designatum fuisse, sed unusquisque interrogabit, ubinam Sulla manserit. Deceptusne est? An subito renuntiavit? Drumann Sullam candidatum consularem, Catilinam principem coniurationis fuisse coniicit, sed hac in re Sallustii opinio magis placet: si princeps coniuratorum erat, fructum quoque capere debebat. Atque cum Sallustius opinionem suam de Catilina mutare nollet, priorem coniurationem huic opinioni adaptare studebat; itaque Sergius, quem cap. 5 ad imperandum magis, quam ad parendum paratum descripserat, in Sullae locum cessit.

Nonnulli interrogaverunt, quidnam Catilina in coniuratione petiverit, nisi consulatum. Sed compertum habemus ex eisdem illis auctoribus, eum tum satis vexatum fuisse. Non solum senatus iniuriam, qua honore exclusus erat, ulcisci studebat, sed repetundarum quoque causa instabat, in qua poenam effugere non potuit, nisi virorum potentium auxilio. Si autem pro-

*) infra videbimus, qua de causa.

cessissent coniuratorum consilia, non modo Sullam et Autronium consules, sed Crassum etiam et Caesarem defensores habuisset. Atque Caesar non solum auxilio tribunorum perfecit, ut coniurati omnes incolumes manerent et Piso in Hispaniam mitteretur, verum etiam ipsos illos consules, quibus Catilina insidiatus erat, adduxit, ut eum defenderent. Qui quamvis liberatus sit, tamen consulto res tam diu dilata est, ut ne in proximum quidem annum Catilina nomen dicere posset. (Cic. pro Sulla 81 sq. Cassius Dio 36, 44.)

Si iam respicimus, videmus Sallustium priorem coniurationem non recte cognovisse; neque haec cum coniuratione anni 63 continere videtur, nisi eo, quod utriusque Catilina et fortasse inquieti nonnulli participes erant. Mommsen in scribenda coniuratione existimavit, per tres annos unam*) eandem coniurationem fuisse, sed cum argumentis haec opinio non fulta sit, virum doctissimum sequi non possumus. Sallustii narratio sine dubio falsa est neque vera esse potuit, cum manifeste studeret, Caesaris in coniuratione partes celare. Fortasse veritus est, ne paulo post mortem dictatoris, cui maxima debebat, ingratus videretur, si eum coniurationi interfuisse scriberet. Nonnulli errores irrepserunt, quia ipse rem tractandam non satis perspexerat. Praecipue in temporibus erravit, ac cum tota haec coniuratio non suo loco posita sit, equidem haud scio, an haec duo capita 18 et 19 libro perfecto post Crassi nomen propere interposita esse coniciam; cuius coniecturae infra uberius mentio fiet.

20. Tandem Sallustius ad concionem illam redit, quam a Catilina convocatam esse cap. 17 docuerat. *Catilina tametsi cum singulis multa saepe egerat, tamen in rem fore credens universos appellare et cohortari in abditam partem aedium secedit.*

Iam commemoravimus, Catilinam incredibili securitate usurum fuisse, si aperte consilium suum professus esset, cum nemo ad id iureiurando teneretur. An fortasse nihil ei celan-

*) Verschwörung in Permanenz.

dum erat? Prooemium orationis, quae sequitur, satis mysteriorum habet; ad *maxumum atque pulcherrumum facinus* evocat audientes, quibus eadem quae sibi *bona malaque esse intellexit*. Spem magnam, dominationem in manibus esse affirmat (§ 2—5). Deinde exponit, rempublicam et omnia eius commoda *in paucorum potentium ius atque dicionem concessisse*, ceteris et eis praecipue, qui adsint, *pericula repulsas, iudicia egestatem relicta* esse, quod diutius non tolerandum sit. Tum docet, quam iniqua proportione bona inter cives divisa sint (§ 11—16) et in fine omnibus, qui adsunt, commendat — petitionem suam! Haec oratio magnam difficultatem habet, si eam revera in hac concione habitam putamus, in qua coniurationem constitutam esse Sallustius auctor est; qua opinione Hagen in libro suo laborat, qui eam orationem copiose interpretatus est. Ne Wirzius quidem verum vidisse videtur, qui etsi minime credit, orationem in hac concione haberi potuisse, concedit, orationem ad cognoscendum statum rerum valentem et significantem esse*); vituperat Linkerum, quod maiorem huic orationi auctoritatem tribuerit, sed locus ipse, quem ex illius emendationibus**) affert, [ubi oratione opus fuisse dicit ad repraesentandam imaginem***) coniurationis], Wirzii expositione magis affirmatur, quam redarguitur: verba discrepant, sententiae eaedem sunt. Minus temperanter, sed ratione certissima omnis huius orationis tractatio inutilis et sterilis habetur, cum omnes antiquorum rerum scriptorum orationes ab ipsis compositae sint. Hunc Schnorr de Carolsfeld in opere coronato Über die Reden und Briefe bei Sallust secutus est. Atque absurdum fuisset, si apud eos, qui cap. 17 enumerati sunt, hanc orationem Catilina habuisset, quae Sallustii ipsius verbis accommodata est eis, *quibus mala abunde omnia, sed neque res neque spes bona ulla:* hoc autem de illis apte dici non posse iam vidimus.

*) „Für die allgemeine Lage giltig und bezeichnend." a. a. O. S. 42.
**) Linker, Emendationen zu Sallust. Wiener Sitzungsberichte. 1854.
***) „Der repräsentative Charakter."

Insuper hae vastae declamationes, non dissimiles eis, quibus nostris temporibus turbidi homines volgus infimum incitare student, illis viris maxime in republica versatis vix risum movissent. Neque enim cuiquam ignotum erat, ad petitionem pecunia eaque non parva opus esse; quomodo Catilina libera professione, sibi rem esse nullam, laborem suum ipse labefactare potuit. Quomodo uno quasi spiritu dicere potuit *quid reliqui habemus praeter miseram animam?* et *haec ipsa, ut spero, vobiscum una consul agam!?* Nunquam callidus homo tam inepte locutus esset. Quodsi ut cetera, sic hanc quoque orationem Baur tuetur, nescio an ipsi Sallustio propugnator ingratus futurus fuerit; Sallustius enim rhetorica lege orationem aestimari voluit, non alia quadam, et quod ad stilum attinet, perfecta est. Hac ipsa dicendi virtute hoc caput 20 adeo a ceteris abhorret, ut dubitari nequeat, quin non cursim, ut cetera, sed diligentissime compositum sit, ut ars et eloquentia scriptoris ex eo cognoscatur. Verisimile est, orationes totius commentarii opere ad finem perducto a Sallustio separatim elucubratas esse. Et id paene pro certo credere possumus, si in memoriam revocamus, ea quoque, quae de priore coniuratione antecedunt orationi, interposita nobis visa esse. Una cum narratione illius coniurationis orationem suam fortasse inseruit, et cum oratio haberi non possit sine conventu quodam hominum concionem eorum, quos Catilinariae coniurationi interfuisse constabat, effingere non dubitabat. Sic intellegitur, cur priorem coniurationem non ante alteram narraverit: opus erat indice coniuratorum, qui orationem audirent. Sallustius non tam aptam, quam pulchram orationem scribere spectavit, et eam ob causam etiam aliunde repetivit, quae efficacia et speciosa videbantur; sic exempli gratia in fine orationis Catilina dicit: *Vel imperatore vel milite me utimini, neque animus neque corpus a vobis aberit,* quae verba vehementissime repugnant cum eis, quae sequuntur: *haec ipsa, ut spero, vobiscum una consul agam,* praeterquam quod Catilina apud Sallustium sola regnandi cupiditate in coniurationem abreptus videtur. Hoc loco scriptor oblitus ea, quae

supra (cap. 5) de Sergio dixerat, id unum sibi proponit, ut oratio magnifice finiatur; quod ut efficiat, imitatur Xenophontem, qui erudito homini ignotus non erat. Ille enim simili in condicione eisdem fere verbis illam orationem conclusit, qua*) Graecos ad resistendum exhortatus est.

Iam luce solis clarius est, errare eos, qui revera hanc orationem a Catilina habitam esse putant. Neque vero ea re difficultates penitus removentur, cum quaerendum sit, quid hac oratione Sallustius sibi voluerit. Quid spectat orator Catilina? Utrum concitat eos, qui contentiores erant, quam ipse? At manifesto credit, audientes omnes idem atque ipsum sentire. An ad agendum evocat? Sed cum consulem anno insequenti se acturum esse polliceatur, mense Iunio (cap. 17, 1) haec praematura cohortatio ridicula fuisset. Concedendum est Iohno, orationem simillimam esse proclamationi ante pugnam; apud Faesulas in castris apta fuisset. Si autem vir doctus opinatur, Sallustium adulescentem anno 691 63 eiusmodi quaedam de Catilina audivisse et memoriae lapsu huc transtulisse, non videt, in peroratione mentionem petitionis factam esse; petitioni autem eiusmodi oratio certissime obfuisset. Neque petitionis commendandae causa oratio habetur: paucula de hac re et ea levia dicuntur, atque ipse Catilina non dubitat, quin consul una cum ceteris acturus sit. Oratio igitur in ore Catilinae inutilis, ne dicam inepta, fuisset, licet optima quoad stilum sit. Flagrantissima repugnantia rerum in oratione patet; legitime legitimam potestatem et eodem tempore contra leges regnum Catilina petit. Itaque dicendum est, non propter res orationem a Sallustio interpositam esse, sed ut exemplar rhetoricae virtutis sit; neque quisquam Romanorum, quippe qui arte rhetorica diligenter instructi et earum rerum studiosi essent, per errorem credidit, hanc orationem revera a Catilina habitam esse.

21. Atque quod ad res attinet, oratio tam inanis est, ut

*) Anab. III 1,25 *κἀγὼ δὲ . . . ἕπεσθαι ὑμῖν βούλομαι, εἰ δ' ὑμεῖς τάττετ' αὐτόν με ἡγεῖσθαι, οὐδὲν προφασίζομαι τὴν ἡλικίαν.*

suo iure Wirzius censeat, colloquium insequens maioris momenti et summam rerum in hac concione esse. Quod quam senserit Sallustius ipse, vel inde apparet, quod apud eum homines, quibus quieta *movere magna merces videbatur, tamen postulavere, uti proponeret, quae condicio belli foret, quae praemia armis peterent, quid ubique opis aut spei haberent.* Res igitur et facta proferre iubent, quae in oratione desideraverunt; certum et palpabile coniurationis fundamentum poscunt. Ex eis, quae deinde a Catilina afferuntur, plurima rursus pollicitationes sunt, quarum oratio quoque plena fuerat: *pollicetur tabulas novas, proscriptionem locupletium magistratus, sacerdotia rapinas.* Quod cum Sallustius sufficere non posse sentiat, adicit nonnulla, quae illis satisfaciant. *Praeterea esse in Hispania Pisonem, in Mauretania cum exercitu P. Sittium Nucerium, consili sui participes;* male utrumque positum est, nam Cn. Piso hoc tempore (medio anno 690/64) iandudum mortuus erat (Asconii comment. ad Ciceronis orationem, quam habuit in toga candida, 93 Orosius). Atque Sallustius ipse hanc Pisonis mortem cap. 19 memoraverat: eo magis credendum est, illas partes postea additas esse. P. Sittium Drumann putat*) Pisoni in Hispania successisse; quod utrum verum sit, necne, in medio relinquamus, in *Mauretaniam* eum non ante exilium suum, i. e. ante annum 692/62 transiisse, et Ciceronis (pr. Sulla 56) et Dionis (43, 3) testimonio constat. Sed etiam si Sallustius in temporibus non erravisset, — quid iuvabant exercitus in abditissimis orbis terrarum angulis coniurationem? Nonne parva manus in foro Catilinae utilior fuisset, quam sescentae legiones in Mauretania? Apud Sallustium nemo talia ex Catilina quaerit, quia ad eiusmodi interrogationem responsum nullum est. Scriptor ad probandam opinionem, quam de Catilinae cupidine dominandi habet, duo facta cum coniuratione coniunxit, quae ad eam non referenda sunt. Quae ad Sittium pertinent, paulo obscuriora sunt, sed cum sine dubio popularium res in Africa egerit, verisimile est,

*) R. G. V. 417 Leben Ciceros.

eum quoque ex Caesaris familiaribus fuisse; atque ex Ciceronis pro Sulla oratione videmus, neminem anno 62 dubitavisse, quin a Caesare missus esset. Etiam hoc igitur loco Caesaris nomen subtrahere studet, cuius iniussu Sittius ad Catilinam se applicare non potuit; sic Sallustius, cum in maiorem Catilinae honorem Sittium nominaret, invitus Caesarem arguit, qui tum quidem Catilinam certo non adiuvit.

Restat argumentum, quod cum unum utile sit, sollerter a Sallustio ad finem reservatum est: *petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem et familiarem et omnibus necessitudinibus circumventum, cum eo se consulem initium agendi facturum*. Hoc enim, nemini ignotum, ipsius vi cetera incerta argumenta firmare aptum erat. Quae sequuntur iam supra in oratione uberius exposita erant: iterum evocatos ad tumultum seditionemque cohortatur, ut *petitionem suam curae habeant*, quae rerum inter se repugnantia tolerari non potest.

22. Iam satis mysteriose de iureiurando agitur, quo Catilina praesentes obstrinxit, nec silentio praetermittitur narratiuncula monstruosa de nece hominis, cuius sanguinem *post exsecrationem omnes degustavisse* dicuntur. Etiamsi non ignoret, haec a Ciceronis amicis ficta esse, *qui* eius *invidiam leniri credebant atrocitate sceleris eorum, qui poenas dederant*, tamen eam rem in medio relinquit, quae '*pro magnitudine*' *parum comperta sit*. Ridiculam cautionem apud historicum scriptorem! Nil mirum, si Florus, Plutarchus, Dio ea voluptate, qua posteri solent, ipsi quoque rem *pro magnitudine* augent. —

Si hoc loco respicimus, quod singillatim monstravimus, tota haec pars (cap. 18—22) extra libri tenorem composita videtur esse. Sallustius more antiquorum historicorum ab oratione rem ipsam incipere constituerat, et una cum oratione cetera interposita sunt. Fortasse βιβλίον ἀπόῤῥητον Ciceronis, cuius Plutarchus in Crasso (cap. 10) mentionem facit, illis ipsis diebus editum est, quo ille de priore coniuratione agebat; quem librum cum Sallustius sine dubio legerit, haud scio an conici-

endum sit, cum legendo impulsum esse, ut de coniuratione anni 688/66 pauca una cum oratione insereret. Nec mirari possumus, Caesaris nomen ab eo summotum esse, si videmus, quo modo Caesari in toto libro faverit: Forsitan imago quoque Catilinae, quae capite 5 scripta erat, eodem tempore aliquantulum ampliata sit; nam si Caesaris loco Catilina in illa coniuratione stabat, summa indole et praecipue dominandi cupiditate exornandus erat; abruptum autem scribendi genus facile nonnulla interponi patiebatur. Inde magna epithetorum accumulatio, quam capite 5 habemus, intellegi potest. Omnia autem, quae capitibus 18—22 traduntur, magis coniectura quam perscrutatione historica niti omnino negari non potest, praesertim cum coniuratio, cui Catilina revera praefuit, pleno anno, ut infra videbimus, anticipata sit. Hac anticipatione opus erat, ut Catilinae facta, per tantum spatium distracta, continua quodammodo viderentur. Iam vidimus, quanta repugnantia rerum hac socordia orta sit. Ac per se ipsum parum fidei habet, coniurationem tam periculosam reipublicae per tot annos occultari potuisse. Extiterunt scilicet, qui hanc Sallustii narrationem tueri studeant, sed perdita est opera; diutius quam crederes, Ciceronis illa '*concio domestica*' et allata et accepta est documento, hanc Sallustii orationem a Catilina habitam esse. Duo errores in ea opinione latent: concio ipsa Ciceronis (pr. Mur. 50) petitionis, non coniurationis causa convocata est; item non hoc anno, sed anno 691/63 concio locum habuit. Si constat, ea concione Catilinam nihil spectavisse, nisi consulatum, una cum hoc argumento cetera eiusmodi omnia cadunt; sine dubio enim Catilina candidatus anno 690 et 691 petitionem suam saepius commendavit, cum de coniuratione nihil cogitaret, quae sola paene Sallustii oratione tractatur. Ac porro: priorem coniurationem Nonis Februariis anni 689/65 oppressam esse, Sallustius ipse auctor est; quidnam Catilina, cuius *animus impurus nec vigiliis nec quietibus sedari poterat*, per totos sedecim menses agebat? An homo, qui inde a Sullae temporibus regnum petebat, tam diu otiabatur? Repetundarum scilicet

postulatus erat, neque vero ea de re sollicitus esse potuit, ex quo consules ipsos patronos sibi conciliaverat; suo iure igitur de ea causa Sallustius tacuit. Mommsen, vir hac in re admodum spectatus, mancam continuationem sarcire studet verbis ponderosis Verschwörung in Permanenz, speciose magis quam apte ad persuadendum; neque enim una perpetua coniuratio fuit, sed duae inter se dissimillimae ab omnibus auctoribus aperte distinguuntur, neque evidens est, cur Mommsen ab eis dissentiat. Iam verisimile est, Sallustium incertum fuisse, quid Catilina egerit. Si nobiscum reputamus, eum a Crasso et Caesare in iudicio adiutum esse, facile credimus, eum popularium factionem propagavisse; neque enim sine pretio illi Catilinae opitulati sunt. Atque abundant hi anni factionum machinationibus, quibus et optimates et populares Pompei potentiam frangere studebant. Notissimae duae rogationes illius temporis sunt, altera ut civitas Gallis daretur, altera ut Caesar cum exercitu Aegyptum provinciam faceret; quibus in perficiendis forsitan Catilina occupatus fuerit. — Sed satis de hac re; hoc constat, Sallustii narrationem hoc loco non modo breviorem, sed mendosam esse. —

23. Si mense Iunio coniuratio constituta erat, ante comitia consularia, quae circa Idus Iulias habebantur, vix multa et gravia facinora a coniuratis suscepta esse possunt, praesertim cum illis diebus magis petitionem quam coniurationem Catilina curaverit. Tamen res nota fit, et Sallustius affirmat, a Q. Curio eam patefactam esse; atque constat Ciceronem ab eo edoctum esse de coniuratione, sed et nomen et annus Ciceronis ab auctore reticentur, quod hoc loco apta non sunt. Nequaquam enim evidens esset, cur ex omnibus Catilinae competitoribus huic potissimum, qui minus quam ceteri cum libidinosis mulieribus consuetudinem habuerit, nuntius afferretur. Anno 63 Ciceroni res nuntiabatur, quia consul erat, sed cur anno ante privato? Et si Ciceroni coniuratio nota fuisset, nonne in oratione, quam habuit in toga candida, eam memoravisset? Non memoravit, ergo non novit; quare rursus demonstratur, coniura-

tionem a Sallustio anticipatam esse. Ad probandam suam opinionem mire accuratam descriptionem Curii addit, sed apparet eam ex eventu scriptam esse. Catilina tam vano et garrulo homini consilium vel potius vitam suam nunquam committere potuit, si tanta providentia et hominum peritia erat, quanta ei capite 14 uberrima tributa est. Sallustius ipse videtur intellexisse, narrationem suam non sufficere; copiose enim de Curii cum Fulvia consuetudine loquitur, cum plerumque brevitatis laudem sectetur. Hanc per facundiam sensim ad Ciceronis creationem in annum 63 allabitur, quod est unum factum anni 693/64 ei cognitum. Unusquisque quaeret: quid? nonne ei, qui de re certiores facti erant, rem ad magistratus detulerunt? Cur Fulvia et Curius ea de re non a praetore interrogati sunt? Sallustius omittit tam moleste quaerere, cum respondere non potuisset, si quaesivisset, pergit *ea res in primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni.* Curii loquacitas multum profecto valuisset, si tantum profecisset, sed ex Ciceronis in toga candida oratione*) luculenter apparet, Sallustium erravisse: Cicero, qui veris fictis competitores aggreditur, de hac coniuratione nihil dixit. Facile videmus, quo pacto creatus sit; non convicia in virtutem Catilinae senatores commoverunt, ut Ciceroni faverent, cum plerique eorum minima integritate essent, atque ipse Antonius, quem Catilinae anteposuerunt, homo scelestus esset. Ciceronem creaverunt odio popularium et imprimis Caesaris, qui aperte Catilinam adiuvabant. Etiam Cicero ad id cum popularibus consenserat, hac autem oratione cum diceret: *praetereo illum nefarium conatum tuum…, cum Pisone socio, 'ne quem alium nominem', caedem optimatium facere voluisti,* tam manifesto Crassum et Caesarem insimulavit, ut nunquam cum eis in gratiam redire posset. Quibus latentibus sed satis perspicuis obtrectationibus dicacis candidati optimates adeo oblectati sunt, ut a se impetrarent homi-

*) Kiessling et Schöll: Q. Asconii Pediani orationum Ciceronis quinque enarratio 1875.

nem novum creare, qui tam strenue optimatium causam egit. Sermones Curii, *quem censores probri gratia senatu moverant, qui neque dicere neque facere quidquam pensi habebat*, non effecissent, ut senatus a praeiudicata ordinis opinione desisteret, quam per saecula servaverat. Ac stultus Catilina fuisset, qui hoc anno propter coniurationem repulsam tulerit, si anno 63 denuo eandem viam ingressus esset, sed infra Sallustius hoc eum fecisse narrabit.

24. Aegre filum narrationis usque ad Ciceronis electionem prolatum est, sed inde ad eruptionem plus duodecim mensibus sunt, quod spatium summo opere Sallustius explere studet. Copiose exponit, quantam operam Catilina dederit, ut coniurationem, quae modo expectationi non responderat, per totam Italiam propagaret; neque tamen plura referre potest, quam arma ab eo parata et pecuniam Faesulas ad Manlium missam esse. Vix crederes, Manlium iam tum manum armatorum collegisse; Kritzius quidem, qui in Sallustianis studiis maxime versatus est, ad caput 27 adnotat: *Fuerat Manlius iam anno ante (64 a. Chr.) Faesulis, ut patet ex c. 24, 2. Sed Romam eum cum turba sua vocaverat Catilina ad petitionem suam iuvandam.* Sed *turbam*, quae vel minimum ad creationem utilis erat, post repulsam per totum annum alere non potuit, aut si potuit, decima parte pecuniae consulatum ambitu adeptus esset. Sallustius pecuniam *sua aut amicorum fide sumptam mutuam* fuisse dicit, sed quis hominibus, quibus nihil reliqui erat *praeter miseram animam*, tantam pecuniam credidisset? Ac praeterea, quomodo fieri potuit, ut Cicero Catilinae inimicissimus, etiamsi de coniuratione certior factus esset, pateretur arma a coniuratis undique in loca idonea comportari. Qui fit, ut postea (cap. 56,3) *ex omni copia circiter pars quarta esset militaribus armis instructa?* An parva manu Romam everti posse Catilina putavit?

25. Sine dubio Sallustius ipse sensit, quam tenuis narratio sit; agitur enim multis verbis hoc loco de moribus et ingenio Semproniae matronae, quae tum minoris vel nullius

momenti in coniuratione erat. Itaque haec descriptio quamvis per se iucundissima et digna legendo sit, de coniuratione nihil novi affert. Qui Sallustium πεὺξ καὶ λάξ defendunt, monent apud Appianum quoque mentionem fieri feminarum, quae pecuniis Catilinam adiuvarent; earum unam Semproniam fuisse. Sed haec, qualis apud Sallustium est, ipsa pecunia eget; quae Appianus scripsit, melius ad Orestillam referuntur, Catilinae uxorem, de qua idem Sallustius nuntiat. Ceterum haud scio an casu factum sit, ut ex tot Catilinae fautricibus hanc potissimum elegerit, matrem D. Bruti et M. Bruti affinem, qui Caesaris interfectione clarissimi erant, cum liber edebatur. Atque Brutorum ipsorum mentio fit verbis *liberis satis fortunata*, quae etsi iniusta non sunt, animos optimatium post mortem Caesaris haud dubie laedebant; neque tamen evidenter apparet, Sallustium id spectavisse.

26. *Rebus comparatis Catilina nihilominus in proximum annum consulatum petebat* pergit narratio, ac suo iure *nihilominus* a Sallustio dictum est. Quousque tandem Catilina expectando tempus terere cogitavit? An meliorem condicionem coniurationis futuram esse speravit, quam tum, cum Italia militibus orbata esset, alter consul coniuratis faveret, alter suspicionem suam senatoribus probare frustra studeret, denique cum respublica paene in retibus capta esset? Nonne immo metus erat, ne temporum opportunitas admodum minueretur? Si res prospere cessit, statim rerum potiri potuit, sin consulatum petivit, sex mensibus post imperium valde circumscriptum adepturus erat; neque consularem potestatem sibi profuturam esse sperare potuit, cum Pompei reditus appropinquaret; omnia profecto ad agendum urgebant, sed Catilina *nihilominus* consulatum petebat. Ipsi Sallustio occultum fuisse non videtur, quam miras res enarret: itaque *nihilominus* scripsit. Si autem porro scriptum videmus *sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum*, obscurum est, cur Antonii adeo rationem habuerit. Si expectare volebat, dum ipse consulari potestate abuti posset, quid cum

Antonius iuvare potuit, qui in Macedoniam profecturus erat. An designatus ad arma evocare cogitavit, ut alterius consulis auxilium haberet? Sed tum impensae petitionis profusae fuissent, neque enim ulla causa est, cur privatum Antonius minus adiuturus fuisset, quam designatum. Praeterea Antonii praesidium adversus impetum et ardorem Ciceronis nihil valuisset. Insuper paulo post Sallustius ipse commemorat, Ciceronem *collegam suum Antonium pactione provinciae perpulisse, ne contra rempublicam sentiret* (cap. 26, 4); eam autem pactionem Cicero cum collega fecerat, priusquam magistratum ingressus est, i. e. multo ante novam Catilinae petitionem. Itaque parum fidei habet Sallustii narratio. Baur hic quoque promptissimus propugnator est, cum moneat, apud Ciceronem quoque mentionem fieri (pro Mur. 49) promissionum, quas hoc anno Antonius Catilinae fecerit; sed si totam illam orationem percurrimus, apparet eas pollicitationes de petitione fuisse, quas materiae defectu coactus ad coniurationem Sallustius rettulit. Ac certe in summa difficultate erat scriptor, qui de coniuratione, quam tamdiu reipublicae institisse affirmavit, tam pauca referre posset; itaque quaecumque suppetunt, quam plurimis verbis exponuntur. Maxime ei conveniunt insidiae, quas sibi saepissime a Catilina paratas esse Cicero dictitaverat; has oratoris fabellas, quarum plurimae sine dubio commenticiae sunt, non examinatas recipit Sallustius, ut longo temporis spatio paulum saltem satisfiat. Notissimum est, quomodo Cicero caverit, ne respublica everteretur; apud Sallustium autem nihil fere de eius consiliis dictum est, praeterquam quod *dolus* et *astutia,* quibus consul exornatur, magis vitia quam virtutes inter viros honestos habentur. Si Cicero nihil fecisset, nisi ut *a principio consulatus sui multa pollicendo per Fulviam efficeret, ut Curius consilia Catilinae sibi proderet,* ut pactionem illam cum Antonio perficeret, et praesidio amicorum se circumdaret, male officio consulis functus esset, praesertim cum multa comperisset, et plura suspicaretur. Sallustius autem res accuratius narrare non potest, cum singula facta manifesto ignoret; ea

quae generaliter de coniuratione dici poterant, iam per occasionem prioris petitionis consumpta erant. Sic per totum librum iterum et iterum impedimento est, quod in temporibus Sallustius erravit, vel ea ad arbitrium permutavit; atque Drumann, qui ceteroquin in diiudicandis historicis rebus severus et acerrimus est, hic aliquantum a consuetudine declinavisse videtur, cum minoris momenti esse dicat, quod Sallustius interdum temporum ordinem minus observet.*)

Ac cum in chronicis rebus versemur, hic confestim agamus de ea quaestione, quae nostris temporibus saepissime ab eis tractata est, qui Sallustianis studiis vacant. Crimini enim scriptori dabatur, quod dilationem comitiorum, cuius Cicero (pro Mur. 51) mentionem facit, omnino silentio praeterierit. Ciceronis verba *meministis fieri senatus consultum referente me, ne postero die comitia haberentur, ut de his rebus in senatu agere possemus*, per multa saecula coniungebantur cum eis, quae in prima oratione in Catilinam (§ 3—7) dixerat; ibi enim similiter de senatus consulto quodam agitur, quo Catilina prohibebatur, quonimus *caedem optimatium* faceret; ac cum constet, id senatus consultum, quod in Catilinaria oratione Cicero intellegit, a. d. XII Kal. Novembres factum esse, plurimi non dubitabant, quin ad eundem diem illa pars orationis pro Murena habitae referenda esset. Itaque pro certo credebatur, comitia, quae dilata esse Cicero dicit, post illum diem habita esse; quae cum plerumque mense Iulio essent, hoc anno dilatio trium mensium videbatur decreta esse. Quam opinionem falsam esse, quamvis doctissimis viris probata sit, primus vidit F. Baur, qui sollerter nobis persuadet, vel potius demonstrat, illos duos locos nullo modo inter se coniungi posse. Eorum scilicet, qui nunc summam auctoritatem in scribendis rebus Romanis habent, nemo hoc Bauri inventum in novas librorum editiones recepit, sed irrefutabilia sunt, quae ab eo proferuntur. Unus Johnus, qui cetera adversarius Bauri est, in hoc eum fortiter defendit, et novis argu-

*) „dass er mitunter die Zeitfolge nicht recht beobachtet."

mentis rem etiam probabiliorem reddit. Baur enim Plutarchi et Dionis testimonia pro Sallustio affert; his omnibus Ciceronem falso a Drumanno oppositum esse, cum duo illi loci inter se non cohaereant. Nam Faesulis certe a. d. VI Kal. Novembres arma capta esse; si autem comitia revera a. d. XII Kal. Nov. habita essent, credendum esset, iter plus ducentorum milium a Manlii tota caterva quinque diebus factum esse; id autem excedere vires humanas. Iam ante Baurum Hagen monuerat, illos duos locos difficiles coniunctu esse, cum altero loco senatus '*non satis severe*' decrevisse dicatur, altero senatus consultum ultimum memoretur, quo gravius et severius senatus decernere omnino non potuit. Eo magis miramur, quod Hagen, qui illos locos non coniunxerit, tamen in dilatione trium mensium perseveravit; neque enim praeter illos locos ullum argumentum tantae dilationis est. Iohnus admonet, ad comitia habenda quietis temporibus opus fuisse, non tam turbidis, ut senatus ad ultimum consultum procedere coactus fuerit, ac si S. C. ultimum ante comitia decretum esset, quid Ciceroni opus fuisse privato consilio? Sed ex illa ipsa Ciceronis oratione (pro Mur. 52) apparere, comitia non ante diem XII Kal. Nov. habita esse. In illa enim oratione, quae mense Novembri 691/63 habita sit, Ciceronem dixisse: *quod homines 'iam tum' coniuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina sciebam, descendi in campum cum firmissimo praesidio fortissimorum virorum;* atqui, si a. d. XII Kal. Nov. in campum descendisset, ineptum fuisse dicere '*iam tum*' *coniuratos;* nam ex indicibus nemini ignotum fuisse, coniurationem *iam tum* constitisse, cum senatus consultum in eam fieret; neque propter diuturnitatem temporum *iam tum* cum dicere potuisse, si senatus consulti diem intellexisset, cum vix uno mense post Murenam defenderit. Ergo comitia ante illum diem habita esse.

Etiam ex eo, quod Manlius Faesulis a. d. VI arma cepit, videmus, comitia ante a. d. XII fuisse; nam si creatus esset Catilina, seditio ei nocuisset, non profuisset; hoc autem constat, Manlium arma die constituto cepisse; Cicero enim etiamsi tumultum in eum diem praedixisset, tamen arma capta sunt. Si

autem ne tantum quidem temporis erat, ut nuntius iubere posset Manlium quietum se tenere, quomodo tam paucis diebus Catilina coniuratos expeditos reddere potuit? Certo enim parva seditionis dilatione Catilina consulem mendacii convicisset, si fieri potuisset. Etiam si putamus fieri potuisse, apparet comitia a. d. XII praeterita fuisse; si enim noluisset consilium mutare, scire debebat, se repulsam laturum esse; atqui constat, eum ipso comitiorum die pro certo credidisse, se consulem futurum esse: ergo comitiorum dies non erat a. d. XII Kal. Novembres. Sallustius igitur sine causa vituperatus est, quod dilationem silentio praeterierit; sine dubio comitia dilata sunt, ea vero dilatio tam parva videtur fuisse, ut sine dubitatione penitus a scriptore neglegi posset. Iam demonstremus, Sallustium de initio coniurationis, praeterquam quod eam pleno anno anticipaverit, melius instructum fuisse, quam eos, qui nostris temporibus in historia Romana praeter ceteros florent. Cicero scilicet ipse loco (pr. Cael. 10), quo minus suae ipsius gloriae, quam saluti clientis sui providet, sic dicit: *multi boni adulescentes illi homini nequam et improbo studuerunt; tum existimatur Caelius Catilinae nimium familiaris fuisse. At enim postea vidimus esse in illius amicis. Quis negat?* Atqui paulo post (pro Cael. 14): *Est enim commune cum multis et cum quibusdam etiam bonis.* Si autem tam libere profiteri potuit, clientem suum Catilinae familiarem fuisse et id eo tempore, quo consulatum petebat, certe ipse persuasum habebat, coniurationem tum non fuisse. Item si petitionis temporibus nondum coniuraverat, nobis quaerendum est, an post illam causa ulla coniurandi fuerit; est autem sine dubio nova repulsa. Hac altera ex repulsa coniurationem exortam esse verisimillimum est. Sane Cicero eam antea floruisse saepius affirmavit, sed eis locis, quibus coniurationem quam maximam et perniciosissimam depingere studet. Ubi causa mentiendi non erat, ut in oratione pro Caelio habita, nunquam eam prius constitisse arbitratur. Catilina ipse in literis, quarum exemplum Sallustius cap. 35 tradidit, scripsit, *se miserorum causam suscipere,* i. e. coniuravisse,

quod fructu laboris industriaeque privatus statum dignitatis non obtineret. Item ex Livii epitoma cognoscimus, Catilinam propter repulsas, i. e. post alteram repulsam coniuravisse. Eadem narrant Dio, Velleius, Florus, Eutropius. Quibuscum omnibus repugnat Sallustii narratio, quam Plutarchus et Appianus receperunt; sed cum numero testium, tum probabilitate illorum opinio vincit. Multi quidem et ei doctissimi summam sagacitatem consumpserunt, ut probarent ea, quae Sallustius nuntiavit, sed perdita est opera. Vidimus, quantae difficultates scriptori prodierint ex illa *dominandi cupiditate,* qua cuncta interpretari studuit; ea opinione inductus coniurationem anticipavit, ea de causa factum est, ut omnes Catilinae actiones inter se repugnarent. Omnia, quae de coniuratione usque ad alteram repulsam narrata sunt, a Sallustio scite composita sunt; inde ab hoc tempore narratio magis rebus, quam verbis animos ad se trahit, etiamsi multis illis anticipationibus nonnulla denuo referre coactus sit.

27. Catilina *constituit bellum facere, quoniam quae occulte tentaverat, aspera foedaque evenerant.* Igitur apud Sallustium quoque post novam repulsam serio res agitur; ac vera sunt, quae audimus de Manlio, Septimio, Iulio, aliis, quos ad sollicitandam Italiam demissos esse Cicero testis est, sed idem de Manlio iam supra (cap. 24) dictum erat; ac praeterea si totam Italiam coniuratio permanaverat, quod saepius apud Sallustium scriptum vidimus, cur denuo eam turbare studebat? Quae sequuntur, non aliter repetita sunt; sine quiete Catilina coniurationem propagare et bellum parare nititur. Dietschius, ne nimis saepe eadem legamus, ante *insidias tendere* removet vocabulum *consulibus,* neque vero ea re Sallustium satis excusat; nemo credit, Antonio ab Catilina insidias paratas esse, sed suo iure Kritzius *consuli* scripsit; neque enim cuiquam insidias tetendisset, nisi Ciceroni. Sed paene incredibile est, insidias hominis, qui in eiusmodi rebus excelleret, per tantum spatium semper inutiles fuisse. — Incendia, quorum mentio fit, iam cap. 24,4 mulieribus mandata erant; sunt, qui dicant, hoc tempore singulorum partes dispertitas esse. Sed cum

comitia recte mense Iulio habita esse Sallustius referat, stultum fuisset, mulierculis tam mature res periculosas singillatim committere; praesertim cum loquacitatem experientia cognovisset in Fulvia. Non minus stolidum fuisset *opportuna loca armatis hominibus obsidere*, temeraria enim haec providentia fuisset, cum consul periculum suspicaretur — Hagen scilicet armamentaria Sallustium intellexisse interpretatur, sed scriptum est *armatis hominibus*. Quae sequuntur verba *ipse esse cum telo, item alios iubere* non raro composita sunt cum illo loco orationis Murenianae (§ 49); ibi enim armatum Catilinam videmus. Sed si accuratius anquirimus, patet Catilinam ita in petitione versatum esse; qui ambitionis modus etsi lege vetitus, tamen non inauditus erat. Hoc autem planum est, Catilinam tum omnem publicum apparatum vitare studuisse.

Quae ad id audivimus, nihil novi referebant, nunc tandem ad factum quoddam progreditur, quod ex Ciceronis in Catilinam orationibus legentibus omnibus notum erat, sed in hoc quoque aliquantum a vero declinare primo illo errore coactus erat. Conventus apud Laecam — de eo enim agit — teste Cicerone, qui certissimus auctor est, convocatus est ea nocte, quae *consecuta est posterum diem nonarum Novembrium* (pro Sull. 52), i. e. duodeviginti diebus post S. C. ultimum. Quodsi Sallustius eam concionem aliquanto ante illud senatus consultum transponit, tempora et res non leviter confundit; atque hic error causam non habet, nisi socordiam. Illo ipso enim tempore, quo Sallustius scripsit, Ciceronis Philippicis orationibus haec res in memoria refectae erant. Nemo Romanus, qui paulum in republica versatus erat, ignoravit, inde ab hac concione coniurationem opprimi coeptam esse. Sed cum tam multa anticipaverit, Sallustius nunc coactus est magna cum licentia res et facta transponere, ne nimia in narratione fiant intervalla. Haec autem transpositio tam monstruosa est, ut Linkerus*) non sine arte

*) Linker, Emendationen zu Sallust. Wiener Sitzungsberichte, philosophisch-historische Klasse. 1854.

demonstrare studuerit, caput 27,3 usque ad 28,3 errore librarii hic positum, recte autem post caput 31,4 ponendum esse; neque vero videtur verum invenire potuisse, cum tota quaestio posita sit in falsa illa opinione, comitia mense Octobri habita esse, qua opinione Sallustius ipse non inductus est. Baur et Zumpt (de imperatoris Augusti die natali, Teubner 1875) arbitrantur, et id serio, ratione artificiosa res a Sallustio transpositas esse, ut similia una cum similibus enarrentur, neque Iohnus ipse concedere dubitat, ea re quendam 'historici' progressum posse cognosci. Certo iungenda vir peritus prudensque non disiunget, sed eiusmodi contemplationes quid hic sibi volunt? Aliud est similia cum similibus coniungere, aliud facta ad arbitrium permiscere; in minoribus rebus quandam transponendi licentiam scriptori concedere possumus, si ea re elegantia totius libri augetur, sin cardines rerum formositatis causa loco moventur, tam exlex ratio nullo modo probanda est. Baur intellexit, eiusmodi argumentis Sallustium non satis excusari, libere igitur confitetur, eum in minoribus rebus indifferentia quadam usum esse, sed hoc loco ea concessio minime apta est; iudicium enim in Sallustio historicum nullum fuisset, si revera concionem apud Laecam in rebus minoribus*) numeravisset. Praeterea paene risum movet, quod ex Sallustii defensoribus alteri, scilicet Baur et Zumpt, in eadem re scriptoris *artem* agnoscunt, in qua alter, Linkerus, *sordes* **) videt. Mendum Sallustii non levius fit, si arte et consilio factum est; melius fuisset concedere, Sallustium fretum memoriae viribus res concepisse sine ulla librorum inspectione. Bene Wirzius monet, neminem hodie esse, qui fontibus historicis neglectis res anni 1848 p. Ch. n. possit narrare; ea autem experientia Sallustio non suppetebat, qui cum praedecessorem in historia Romana vix haberet, facile in eum errorem incidit.

*) „Aeusseres Detail."
**) „Schmutzfleck."

Cum concionis tempus mutatum sit, etiam alia de causa atque apud Ciceronem coniurati convocantur. Catilina in conventu *multa de ignavia eorum questus* est. Hagen affirmat, in adiuvanda petitione illos ignavos fuisse, sed Sallustii ipsius narratio demonstrat, eum erravisse; quaecumque enim sequuntur, de coniuratione dicta sunt, non de petitione; insuper Sallustius paulo ante (26, 5) novam repulsam narraverat, sed Hagen arbitratus comitia mense Octobri habita esse, inde interpretationem accersit. Oppobrio ignaviae Sallustius nihil spectat, nisi ut Catilinae sedulitas evidentior sit, neque enim ea criminatio iusta est. Quidnam illi neglexerunt? Quae ad id a Sallustio narrata sunt, facilius et tutius ab uno homine agebantur; immo dementia fuisset, si suo quisque arbitrio egisset. Etiam cetera, quae sequuntur, legentis animum offendunt. Catilina enim *docet, se praemisisse Manlium ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paravisset.* Num hoc coniuratis ignotum erat? An quod dicit *prae*misisse, iam tum Roma decessurus erat? Reliqua, quae scripta sunt, *se... alios in alia loca opportuna praemisisse, qui initium belli facerent ... si prius Ciceronem oppressisset,* crebra repetitione ita detrita sunt, ut vix quisquam ea seria esse putaverit, sed hoc tandem loco facinus suscipitur. Notissimum enim erat ex Ciceronis orationibus, de his rebus apud Laecam constitutum esse. Cicero scilicet in prima oratione non dicit, Catilinae *multa agitanti nil processisse*; apud eum Catilina horam pugnandi adesse censet; nuntii in omnes partes Italiae mittuntur, ut ubique res eodem die erumpat; urbs singulis incendenda mandatur; eliguntur, qui consulem interficiant; denique omnia prompta et parata sunt. Apud Sallustium concio minoris momenti est; conatus ille quidem in Ciceronem, qui in omnium memoria indissolubiliter cum concione apud Laecam coniunctus erat, hic quoque sequitur, neque vero consul facinore impellitur, ut libere in senatu Catilinam insimulet.

28. Facinus ipsum narrat, ut Cicero, sed hoc quoque loco ex consuetudine sua pauca de suo addidit, quae non ita

apta videntur. Postquam per totum annum insidias paravit, vix crederes, coniuratos *perterritos et dubitantes* fuisse; atque cum hoc facinus non maioris momenti apud Sallustium sit, quam cetera, quae ipsa quoque sine eventu erant, obscurum est, cur percussorum nomina receperit. Iam periculum est, ne omnia quae antea de insidiis narrata sunt, commenticia videantur. Ceterum nomina ipsa *C. Cornelius et cum eo L. Vargunteius* non satis explorata sunt. Cicero enim (in Cat. 1, 10) affirmat, *duos equites* operam suam pollicitos esse; qua in re consul neque erravit, paucis enim horis ante ianua eos prohibuerat, neque fefellit, integros enim cives testes sibi sumpserat. Atqui Sallustius Vargunteium *senatorem* nominat; ergo in hoc nomine erravit. Cornelium Cicero quoque (pro Sulla 52) nominat, alterius interfectoris nomen apud eum non traditum est. Sed si nobiscum reputamus, quantum inter coniuratos ipsos ordinis dignitas valuerit, veri non simile est, Vargunteium, quem praetorii ordinis fuisse Drumann docet, cum equite tale flagitium suscepisse. Unde igitur Sallustius hoc nomen repetivit? Apud ceteros auctores etiam alia nomina habemus: Appianus (II, 3) Lentuli et Cethegi nomina affert; sed cum narratio eius tota ex Sallustii libro hausta sit, forsitan coniciendum sit, eum memoriae lapsu haec nomina posuisse, quae apud Sallustium (32, 2) una nominantur; neque vero eo loco Sallustius suscipienda de nece Ciceronis, sed de vicariis Catiliniae agit. Plutarchus cum Cethego Marcium quendam nominat, de quo nihil compertum habemus. Neque mirum est, quod hi Graeci duo Cethegum electum fuisse credunt, is enim, qua erat rabiosa audacia, sine dubio aptissimus fuisset; neque tamen interfuisse videtur. Satis est cognoscere, neminem a Sallustio Varguntei nomen recepisse. — Hagen Sallustium vituperat, quod illos *cum armatis hominibus* introire conatos esse scripsit; certe stolidum fuisset cum gladiis hastisque ante consulis domum ire, sed nil impedit, quominus illos stilo armatos fuisse putemus; neque enim propter arma ianua prohibiti sunt, sed quia Curius consilium eorum enuntiaverat.

Sequuntur rursus nonnulla de Manlio, quae nihil docent, quod non iam ex capite 24, 3 viderimus. Si revera Sallustius similia similibus quam maxime coniungere studuisset, hic occasio fuisset rei probandae; sed e contrario narratio valde concisa et dissecta est, quod luculenter apparet ex particula *interea*, qua saepius ea inducit, quae antea omissa sunt. —

29. Iam memoravimus apud Sallustium quoque post illud facinus senatum convocari; neque vero perspicuum est, utrum propter an post facinus de Manlii gnavitate certior factus Cicero senatum convocavisse dicitur. Mirum esset, si Cicero tum demum de ea re audivisset, pleno anno exacto. Nonne Manlii nomen in hominum ore versabatur? Tamen consul *rem ad senatum refert*. Sed quid de ea re? *Neque exercitus Manlii quantus aut quo consilio foret, satis compertum habebat, neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat.* Nihil igitur referre potuit, quod non *antea volgi rumoribus exagitatum* fuisset. Et senatus? Ne interrogat quidem, contra quem urbs firmari iam non possit, sed vanis *volgi rumoribus* commotus, *quod plerumque in atroci negotio solet, decrevit, darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet.* Sed quid *atrocis negotii* erat? De facinore non uno verbo dicitur; Sallustius ipse (12, 2) optimatium factioni, quae tum rempublicam gubernabat, opprobrio dedit, quod suam potentiam, quam rempublicam augere mallent; qui fit, ut ille dominandi aemulus senatus sine evidenti causa consulibus tanquam vinctum se tradat? Absurda res est. Sed Sallustius neque illam in Ciceronem incursionem, neque senatus consultum ultimae necessitatis silentio praeterire potuit, quippe quae notissima fuerint; cum autem illius effectum — scilicet primam Ciceronis orationem — huius causam ignoraret, eo magis eas res hoc loco posuit, quod de hoc ipso tempore minima ei suppeterent.

Ne apud Ciceronem quidem cognoscimus, quomodo a. d. XII Kal. Novembres senatus consultum ortum sit. Sed scriptum est apud Cassium Dionem (37, 31, 1): *Μηνύεται τὰ γιγνό-*

μενα τῷ Κικέρωνι διὰ γραμμάτων τινῶν, ἃ . . . Κράσσῳ καὶ ἄλλοις τῶν δυνατῶν ἐδόθη· καὶ ἐπ᾽ αὐτοῖς δόγμα ἐκυρώθη, ταραχὴν τε εἶναι καὶ ζήτησιν τῶν αἰτίων αὐτῆς γενέσθαι. δεύτερα δὲ ἀπὸ τῆς Τυρσηνίδος, καὶ . . τῷ δόγματι προσεγράφη τὸ διὰ φροντίδος ὑπάτους σχεῖν, ὥστε μηδεμίαν βλάβην τῷ δημοσίῳ συμβῆναι. Ex hac Dionis narratione apparet, deliberationem patrum a. d. XII Kal. Novembres turbulentissimam fuisse; Cicero orsus esse videtur a literis illis, quae Crasso datae erant. De his literis autem uberius agit Plutarchus in Ciceronis vita, ubi (cap. 15) narrat, paulo ante eruptionem coniurationis, non multo post comitia consularia tres nobiles Romanos ad Ciceronem venisse cum literis, quae inter cenam apud Crassum ab ignoto quodam depositae erant. In literis scriptum fuisse, caedem communem a Catilina parari; proinde illi quam celerrime ex urbe decederent. Crassum ea re suspicionem coniunctionis cum Catilina reprimere studuisse. Postridie Ciceronem in senatu iussisse illos, quibus datae erant, epistulas recitare, in omnibus autem eadem scripta fuisse. Atque ex eis, quae Plutarchus alio loco (Crassus 13) dicit, conicere possumus, hanc de epistulis narrationem ex Ciceronis ad Pompeium literis de consulatu suo haustam esse; quae sententia si vera est, ea, quae Plutarchus tradidit, magnam fidem habent. Omnia autem, quae apud Sallustium perplexa erant, apud Plutarchum clara fiunt. Sallustius ignorabat, qua de causa senatus convocatus esset; apud Plutarchum habemus epistulas. Apud Sallustium consul consilia *Manlii non satis comperta habebat;* Dionis et Plutarchi ex narratione videmus, eis ipsis, quae de rebus Etruscis consul rettulerit, senatus consultum ultimum decretum esse, cum antea propter literas vix quaestio constituta sit. Apud Sallustium post paucos dies literae de seditione apud Faesulas facta in senatu recitantur; hae literae sine dubio eaedem sunt, quas de Manlio in senatu ab Arrio praetore recitatas esse Plutarchus nuntiat, etiamsi Sallustius eas a L. Saenio recitatas esse dicat. Eo magis igitur apparet, eas res Sallustio non satis cognitas fuisse. Iohnus concedit, *paucos dies* inter senatus consultum

et literarum recitationem cogitari posse, sed cum ipse has epistulas non a Catilina, sed a Cicerone missas esse suspicetur, eiusmodi intervallum ei non probandum erat. Ceterum ea Iohni coniectura valde placet; neque enim Catilina Crassum praemonuisset, quippe quem sibi favere crederet. Cicero autem cum epistulas coram convivis ei dari curaret, eum coegit, ut publice coniurationi renuntiaret. Atque altera epistula, quae Faesulis venisse dicitur, suspiciosa est propter ea verba, quae Plutarchus affert: 'Manlium perpetuo expectare videri, ut sibi signum ex urbe detur.' De numero enim, de itineribus, de sceleribus Manlii eiusmodi epistula nuntiavisset; cum illa autem verba maligna inutilia ad rem, utilissima ad Catilinam accusandum sint, forsitan epistula impulsu consulis ex Etruria missa sit. Ciceronem iam antea de Manlio certiorem factum esse videmus ex eo, quod eodem die praedixit, Manlium a. d. VI Kal. Novembres arma capturum esse; sed cum senatorum lentitudinem bene novisset, literis fortasse praedictionis suae vim augere studebat. — Quae res etsi probabilitate non caret, tamen magis coniecta a Iohno, quam demonstrata videtur. Utut res se habet, hoc constat, senatus consultum apud Sallustium falso loco et falso tempore narratum esse. Causa senatus consulti ei non nota est, quae autem secuta sunt, plena redduntur.

Ut veteres annalium scriptores a prodigiis Sallustius orditur, neque ea de causa vituperandus est. Livius, cuius iudicium historicum in dubium vocari non potest, pariter facit, ac Plutarchus in Ciceronis vita (cap. 14) non dubitat, ea a Sallustio recipere. — Quae porro scripta videmus, *Capuae atque in Apulia servile bellum moveri*, Ciceronis orationibus, quas pro Sestio et pro Caelio habuit, confirmantur. Hic additus est tanquam index omnium consiliorum, quibus senatus coniurationem impugnavit; similiter capite 17 nomina coniuratorum collecta erant. Faesulas et in Apuliam mittuntur duo viri consulares, Marcius Rex et Metellus Creticus, *qui ad urbem imperatores erant, impediti ne triumpharent calumnia paucorum, quibus omnia, honesta atque inhonesta, vendere mos erat.* Quod

Creticum attinet, imperium in Creta habuerat, sed lege Gabinia Pompeii legatus factus erat, qui idcirco triumphum Creticum ipse sibi vindicabat; quod etsi indignum, tamen cum iure fiebat, sed Sallustius, Pompei in republica adversarius, occasione potitur, ut odio suo satisfaciat. Neque enim postea Metelli fit mentio. De Q. Marcio Rege infra (cap. 33) videbimus; iam ad sequentia nomina adeamus.

Pompeius Rufus et Metellus Celer, qui praetura fungebantur, cum imperio in loca inquieta mittuntur; qui Metellus Celer Ciceroni familiarissimus in hac re erat, et summis laudibus ab eo saepius elatus est. Plutarchus in Ciceronis vita (cap. 16) refert *τὸ μὲν ἔξω πράγματα Κοΐντῳ Μετέλλῳ διεπίστευσε.* Anno post Metellus idem impedivit, quominus trans Apenninum Catilina effugeret; itaque dubitari non potest, quin exercitum paraverit. Pompeius Rufus autem forsitan falso nominatus sit; neque enim sine exercitu Capuam tueri potuit, praesertim cum senatus decrevisset (30, 7), *ut gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribuerentur.* Sallustius quidem affirmat, ei permissum esse, *uti exercitum compararet,* sed ex Ciceronis pro Sestio oratione (cap. 9) cognoscimus, aliquanto post Capuam a Sestio cum armatis occupatam esse; si autem urbs illo tempore militibus orbata erat, fieri non potuit, ut numerus malorum etiam augeretur a senatu, qui *Capuae servile bellum moveri* non ignoraret. Verisimile est, Sallustium et in nomine erravisse, et tumultum Campanum anticipavisse; quod si putamus, nihil obstat, quin illud de gladiatoribus decretum ratum habeamus. Cicero enim (pro Sulla 53) auctor est, totam Campaniam illis diebus quietam fuisse, atque quietam in regionem senatus sine ulla dubitatione gladiatores distribuere potuit. — Quae protinus apud Sallustium de praemiis, proditoribus, promissis scripta sunt, forsitan arcessita sint ex priore illo senatus consulto, cuius apud Dionem mentio erat; post ultimum enim senatus consultum, quo consulibus potestas dictatoria dabatur, ea omnia inutilia fuissent. Praeterea Cicero in prima oratione (§ 7) frequentissimo senatu

proclamavit, suis ipsius consiliis Catilinam usque ad a. d. V Kal. Novembres compressum esse, quod insolenter dictum esset, si senatus auctoritate, non consulis imperio hae custodiae in urbe dispertitae fuissent. Eadem de causa improbanda est opinio, qua Hagen Sallustium tueri studet, paragraphum tertiam capitis 29, qua vis S. C. ultimi exponitur, non a Sallustio, sed a senatu additam esse. Sed si senatus eis verbis consulum potestatem circumscripserat, facere non potuit, quin statim consultum suum irritum redderet. Denuo neglegentia in temporibus Sallustium in errores induxit. —

31. Capite insequenti scriptor elegantissimo stilo depingit, quanta in urbe sollicitudo fuerit. Praeclara est narratio, sed nobis quaerendum est, quid haec tanta tristitia urbis sibi voluerit? Num, si Sallustium auctorem sequimur, condicio urbis peior facta erat? Nonne cives, quos inde a comitiis anni 64 coniurationem suspicatos esse Sallustius censuit, melius triumphavissent gaudio, quod tandem aliquando senatus severe graviterque in coniuratos consuluit? Nonne Cicero, si animi civium ita commoti fuissent, facile iam tum Catilinam ex urbe pepulisset? Iam putares, Sallustium commenticia rettulisse, nisi ex aliorum testimoniis constaret, illos dies tristissimos fuisse; quam fortasse tristitiam Sallustius meminit, neque vero sciebat, qua de causa exorta esset. Cicero enim a. d. XII Kal. Novembres praedixerat, a. d. VI Faesulis seditionem, Romae caedem futuram esse; multi nobiles propterea ex urbe aufugerant, ceteri inquieti remanebant. Custodiae in urbe dispositae erant, sed Cassius Dio (37, 31, 3) docet, eas a Cicerone ex potestate dictatoria, non a senatu institutas esse, ne caedes illa optimatium fieret. Eadem videmus apud Appianum (II, 3), qui plerumque Sallustium sequatur. Dio adicit, Ciceronis operam et laborem non frustra impensa esse, omnia in urbe tam quieta fuisse, ut plurimi suspicarentur, Ciceronem odio Catilinae, non amore civium Catilinam insimulavisse; sed nuntios de seditione Faesulis allatos ei denuo fidem fecisse. Quo factum esse, ut L. Paulus Catilinam de vi postularet (Dio 37, 32, 1). Cuius quaestionis

apud Sallustium quoque mentio fit (31,4), neque vero causam novisse videtur; accusatio enim Catilinae gratissima erat, quippe ex qua cognosceret, multos in urbe Ciceroni non credere, qui coniurationem, quae brevi eruptura erat, diuturno iudicio reprimere studerent. Hac re fretus Catilina in urbe remansit; apud Sallustium incredibile est, eum non expulsum esse, quamquam coniuratio iam pridem cognita et agnita esset. Sed scriptor accusatione usus est, ut ad eam sessionem perveniat, quae Ciceronis prima oratione clara est; apud eum Catilina *postremo sui expurgandi causa in senatum venit*, ac cum ea expurgatio satis copiosa sit, de Ciceronis clarissima oratione nihil dicit, nisi eam fuisse *luculentam et reipublicae utilem*. Admonet quidem Ciceronem eam orationem *postea scriptam edidisse*, sed haec pauca verba vix animadverti possunt inter tantam Catilinae responsionem. Atque incertum est, num hoc responsum Catilinae ipsi tribuendum sit; Cicero (orat. 129) refert, eum penitus conticuisse. Dixerit quispiam, Ciceronem eo loco magis gloriae suae, quam veritati consuluisse, sed ea ipsa, quae Sallustius Catilinam respondisse narrat, suspicionem movent; perinde enim composita sunt, ac si orator antea diligentissime secum reputaverit, quid Ciceroni responderet. Verisimile est igitur, orationem a Sallustio ex eventu scriptam esse. Si revera eum in modum Catilina ante senatores locutus esset, hi fortasse Catilinae plausissent, cum praesertim Ciceronis indignatio non tam ex amore patriae, quam ex privato odio prodire multis videretur. Tam scite Catilina consulis novitatem rodit, tam sollerter senatum pro nobilitate contra *inquilinum civem* evocat, ut nos valde miremur, *omnes obstrepuisse* senatores; sed Sallustius ita fuisse affirmat.

Rem dubiam magis collustrat Appianus, cum dicat (II 2), vocabulum ἰγκουιλῖνος multo ante coniurationem ipsam a Catilina usurpatum esse. Scimus autem, Catilinam contra Ciceronis in toga candida orationem scripta quaedam petitionis emendandae causa edidisse; verisimile est, ex eo libro vocem illam adeo in memoria haesisse, ut in commentario de Catilina praetermitti

non posset. Similiter hoc loco alterum quoque Catilinae notum verbum positum est: *quoniam quidem circumventus ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam.* Cicero ipse (pro Mur. 51) testis est, haec verba a Catilina dicta esse, neque vero hoc tempore in Ciceronem, sed ante comitia in Catonem, qui ei iudicium minitabatur et denuntiabat; quod verba illa re mutata ipsa quoque a scriptore paullum commutata sunt, non mirum est.

Apud Sallustium ex certamine dicendi Catilina superior discedit; nihilominus statim ad Manlium proficiscitur, qui Sallustium auctorem sequuntur, ut Hagen in hac parte tractanda, ut Mommsen in historia sua (III 5, 186), eis censendum est, Catilinam etiam sine Ciceronis oratione profecturum fuisse. Eae proficiscendi causae, quas Sallustius affert, probari non possunt; *quod insidiae consuli non procedebant,* ad id eum ex urbe non expulerat; cur tam subito ea de causa ei desperandum erat? Ac ne de incendiis quidem desperabat, quia *urbem ab incendiis vigiliis munitam intellegebat;* nam ante ipsam profectionem Cethego, Lentulo, ceteris *mandat, . . caedem, incendia parent.* Non maiorem fidem habet, Catilinam *antecapere* voluisse, *quae bello usui forent,* cum ipse Sallustius docuerit, statim a. d. XII Kal. Novembres praetores missos esse, *uti pro tempore exercitum compararent* (30, 5). Ac mirum esset, si unus Sallustius ignoravisset, Catilinam Ciceronis oratione expulsum esse; magis verisimile est, eum Ciceronis laudem praedicare noluisse.

Proficiscens Catilina Lentulo, Cethego, ceteris, *quorum cognoverat promptam audaciam,* easdem res mandat, quas ipse modo irritas habuerat. Sane Cethegi audacia cognita erat, sed unde somniculoso et segni homini, qualis Lentulus erat, ea laus vindicetur, difficile intellectu est. Sallustius ipse (43, 4 et 58, 4) contrarium de eo refert. Cetera, quae coniuratis mandantur, eadem sunt, quae iam 27, 2 eis imperaverat. Baur censuit, ibi has res a Catilina perpensas, hic pronuntiatas esse,

sed cum documenta nulla attulerit, eiusmodi interpretatio nimis studiosa scriptorem magis coarguit, quam iuvat.

Dio et Plutarchus Catilinam non sua sponte, sed coactum ex urbe abiisse, auctores sunt: Plutarchus libere nuntiat, consulem ex dictatoria potestate ei imperavisse (προςέταξε), ut proficisceretur; Dio eum exilio multatum esse dicit, neque eam poenam Catilinae ingratam fuisse, quippe quem nulla res Romae retinuerit, nisi suspicio, cui obviam ire oportuerit. Cicero ipse in quarta oratione non concedit, se Catilinam coegisse; consilium modo abeundi se illi dedisse. Sed manifesto haec verba ab eo dicta sunt, ne postea iudicii periculum sustineret. Maxime ex Catilinae epistula, quam Sallustius memoriae prodidit, apparet, Catilinae profectionem voluntariam non fuisse.

Ceterum moneamus, consilium incendiorum, quod etiam atque etiam ab Sallustio repetitum est, hoc loco recte positum esse; hac enim nocte revera concio apud Laecam habita est.

33. Sequitur apud Sallustium excursus de Marcio Rege, cuius alibi mentio non fit. Marcius Rex anno 686/68 consulatu functus erat; tum ei obtigerat Cilicia provincia, quae lege Gabinia tota in Pompeii potestatem venit. Neque iure, neque rebus gestis triumphum poscere potuit, sed cum Metellus favente senatu triumphum sibi vindicaret, ipse quoque idem fecit et longum tempus ante portas se tenuit, quia senatus contra Pompeium decernere non audebat. Fortasse ut molestum hominem amoverent, patres eum Faesulas miserunt; neque enim causa est, cur Sallustii narrationem in dubium vocemus, etiamsi Cicero de ea re taceat. Sed quod Hagen in tractando hoc capite Manlii condiciones serias fuisse censet, cum paulo ante Catilinam etiam sine Ciceronis oratione Faesulas profecturum fuisse putaverit, haec aperta repugnantia est, in quam Mommsen non incidit. Certo Manlius Marcium fallere studebat, atque id fieri non potuit, nisi ante Kalendas Novembres; nam postquam Praeneste opprimere conati sunt, coniurati occulti esse non poterant. Verisimile est, Marcium missum esse, ut cum seditiosis ageret; sunt, qui eum exercitum paravisse credant, sed ea opinio mi-

nime placet. Neque enim senatus eum ab exercitu revocavisset, ut Antonium, incertum hominem, militibus praeficere posset. Praeterea imperatorem cum exercitu non decebat, seditiosis imperare, ut discederent, nisi curaturus erat, ut sibi parerent.

Manlius Marcio nuntiat, se necessitate coactos arma cepisse, cum aere alieno oppressi essent. Etiam Dio (cap. 30) narrat χρεῶν ἀποκοπάς postulatas esse. Atque Cicero saepissime dicit, coniuratos aere alieno obrutos fuisse. Itaque summa transactionum recte exposita videtur. Marcius respondit, quod solum respondere potuit: si quid a senatu vellent, ab armis discederent et legitime ab eo peterent iustitiam. Sallustius de ea re nihil amplius refert, sed apparet, seditiosos imperatori non oboedivisse. Hagen opinatur adventu Catilinae transactiones finitas esse, sed cum ille a. d. VI Idus Novembres ex urbe profectus nonnullos dies in itinere moratus sit, non prius quam a. d. XVI Kal. Decembres Faesulis esse potuit, quo tempore cum Catilina iam non agebatur.

34. Drumanni opinio, fallendi causa Manlium cum Marcio egisse, confirmatur eis, quae eisdem diebus a Catilina *optumo cuique* scripta sunt. Nam his quoque epistulis eos celare studet de consiliis suis: *se Massiliam in exilium proficisci, uti respublica quieta foret.* Sed ab his longe *diversas literas Q. Catulus in senatu recitavit*, quarum exemplum apud Sallustium scriptum est. Quae epistula cum ab omnibus*), qui in studiis Sallustianis versati sunt, Catilinae ipsi tribuatur, nec id sine causis maximis, ad Sergii ingenium cognoscendum certo gravissima est. Apertum et simplex est genus scribendi atque longe diversum ab descriptione Sallustii. Sed cur tam libere de consiliis suis loquitur, cum ea occultare oporteat? An credidit Catilina Catulum de literis taciturum esse? Stolida ea spes fuisset in vivo, qui contra Lepidum et ipsum Pompeium, qui non infames erant, fortiter rempublicam defenderat. Habemus

*) Res pertractata est ab Schnorr v. Carolsfeld in opere coronato Die Reden und Briefe bei Sallust. Leipzig 1888.

igitur veram purgationem; Catilina immerito se honore *alienatum* sentit atque postpositum dicaci homini novo. Indignatio autem de his rebus verissima est et sincerum est unumquodque verbum totius epistulae. Hagen quidem et John in ea studium obumbrandae culpae inveniunt, sed si rem sine ira ac studio tentamus, nihil cuismodi videmus. De proposito suo Catilina omnino tacet, ergo excusandi studium in eis, quae non dicta sunt, quaerendum esset. Solam infamem suspicionem impugnat, se abiisse, ne pecuniam mutuam redderet; ceteroquin non curat, quid cives de se cogitent. Ei uni viro, cui inde a Vestalium virginum accusatione gratiam habebat, libere profiteri cupit, se nova moliri. Hagen imprimis finem epistulae mendacem esse putat, cum Cicero Catilinae non solum insidias non paraverit, verum etiam gavisus sit, quod illius praesentia liberaretur (pag. 227). Factum, quo Hagen nititur, verum est, sed conclusio, quam ex eo traxit, falsa est. Catilina post minacem consulis orationem, quam senatus magna voce laudaverat, se tutum esse nequaquam existimavit; si Cicero extraordinaria potestate sua utebatur, summa calamitas ei instabat. Denique, plura ne dicamus, apparet, Catilinam in hac epistula a vero declinare noluisse — quantum ipse se fefellerit, quaerere non opus est. Hoc ipso haec epistula ceteris differt, nam quod ad res attinet, haec quoque nihil nuntiat.

36. Ex eis, quae post profectionem Catilina fecit, videmus, eum adeptionem consulatus non praetendisse coniurationi, nam paucos dies Arretii versatus seditionis initium facit *cum fascibus atque aliis imperii insignibus in castra ad Manlium contendens.* In hac re omnium testimonia consentiunt (Plutarchi Cicero cap. 16 finis. — Dio 37, 32, 2. — Appianus II, 3). Quod ubi Romae compertum est, senatus *Catilinam* (Dionis 37, 33, 3) *et Manlium hostes iudicat.* Idem sectatores Catilinae subtrahere tentavit, cum *diem statueret, ante quam sine fraude ab armis discedere liceret.* Reliqua pars senatus consulti, *uti consules delectum habeant, Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet, Cicero urbi praesidio sit,* non sine causa

in dubium vocata est; Hagen (pag. 230) exponit, consulibus ex dictatoria potestate delectum habere licuisse, atque duos exercitus ab eis contra Manlium iam paratos fuisse, quorum maior duce Metello Celere tum sine dubio expeditus fuerit; ridiculum esse, contra manum seditiosorum tres exercitus mittere. Hoc argumento nisus censet amovenda esse illa de novo delectu scripta. Si rectum Hagen vidit, hoc consulto Antonius impellebatur, ut tandem desineret desidia sua coniuratos adiuvare. Quod Hagen commentatur, Dionis narratione fulciri potest; hic enim (37, 33, 4) refert *Ἀντώνιον εἰς τὸν πόλεμον ἔστειλαν . . Κικέρων τὴν πόλιν διὰ φυλακῆς ἐποιήσατο*, de novo delectu nihil dicit. Etiam Cicero (pro Murena 84) eodem tempore, cum Murenam defenderet, non *solum minuenda*, inquit, *non sunt auxilia, quae habemus, sed etiam nova, si fieri possit, comparanda.* Quod ridiculum fuisset, si tres exercitus in armis fuissent contra manum sceleratorum.

37. Quae sequuntur de condicione urbis, de plebis cupiditate, de morum corruptione, summa arte elucubrata et apte composita sunt; quae de vario coniuratorum genere scripta videmus, Cicero quoque in secunda oratione (§ 18—23) exposuit, sed Sallustii narratio accuratior et elegantior est.

38. 39. Eis, quae de urbis condicione rettulit, adducitur Sallustius, ut de reipublicae statu, qualis tum ei esse videbatur, pauca dicat. Atque acerrime vituperat Pompeium et eius factionem, eis enim imputandum esse, quod *pro sua quisque potentia certaverit.* Luculenter ex tota hac parte apparet, Sallustium supra (cap 12), ubi increpat *ignavissumos homines,* qui *per summum scelus omnia sociis adimere, proinde quasi iniuriam facere id demum esset imperio uti*, Pompeianos intellexisse. Qua re de infra uberius agendum erit. Sallustius ad rem redit, cum dicat, odium optimatium tantum fuisse, ut *si primo proelio Catilina superior aut aequa manu discessisset, profecto magna clades rempublicam oppressisset.* Quod ut probet, narrat de A. Fulvio adulescente, qui, etiamsi patre senatore natus et ingenio, literis, forma inter aequales nitens

(Valer. Maximus V 8, 5) erat, ad Catilinam profectus a patre in itinere necatus est. (Cfr. quae ad 17, 3 de eodem Fulvio scripta sunt.) Mira haec patris severitas videtur, sed praeter Valerium Maximum Dio quoque (37, 36) idem refert, quem ex Livi ab urbe condita libris hausisse verisimile est.

Quae hoc tempore Romae in urbe a Lentulo suscepta sunt, Sallustius ipse comprehendit verbis *sicuti Catilina praeceperat:* nullus igitur coniurationis progressus ad id animadvertitur.

40. Protinus res labitur adventu Allobrogum, quibuscum Lentulus iniussu Catilinae agere incipit. Legati Allobrogum, qui Romam venerant, ut a senatu diminutionem tributorum et vectigalium impetrarent, in urbe convenerant cum Umbreno quodam liberto, qui in Gallia negotiatus illos noverat. Umbrenus autem inter coniuratos erat. Itaque cum senatus legatis non obsequeretur, ille speravit, se homines *publice privatimque aere alieno oppressos* facile ad coniurationem adducturum esse. Lentulus Gallos, qui omnibus temporibus novarum rerum cupidi fuerunt, recte diiudicavit: res singularis eorum animos traxit. Cicero scilicet (in Cat. III 14) praeter Umbrenum etiam Manlium Chilonem et P. Furium cum Gallis egisse narrat; neque vero ea aperta repugnantia est. Fortasse Umbrenus, ut auctoritatem suam augeret, illos duos homines secum adduxit; eadem de causa postea Gabinium, qui eques erat, arcessitum esse, verisimile est. Apud Sallustium solus Umbrenus eis Gabinio *praesente consilium aperit;* sed quasnam partes interea Gabinius Capito (cap. 17) egit? An omnino ad rem tacuit? Incredibile id est, etiamsi Sallustius rem ita pinxerit. Hagen ex Ciceronis tertia oratione (§ 12), ubi Gabinius *Cimber* nominatur, conicit, illum corporis eximia magnitudine Gallis admirationem inicere voluisse. Sed hac coniectura nimis deprimuntur vel despiciuntur Galli, qui in tota transactione tantam rerum publicarum intelligentiam ostendunt, ut Romanos ipsos dolo superent; eiusmodi artes in gente barbara, non in natione Vercingetorigis utiles fuissent. Ceterum cum illis Ciceronis

locis male convenit, quod Gabinius tacitus rebus interest; ibi enim homo importunissimus est, cuius loquacitas vix interrogatione apud senatum decrescit. Itaque eius taciturnitas hoc loco mira est. Haud scio an Sallustius in scribendo recordatus, plures a Lentulo ad Allobroges missos esse, per errorem Gabinii nomen posuerit; Cicero quidem ubi de Allobrogibus dicit, Gabinii nunquam mentionem facit.

Postquam Umbrenus Gallis coniurationem omnem aperuit *eos pollicitos operam suam domum dimittit;* sic refert Sallustius. Sed quod supra (cap. 19) censueramus, eum ad coniurandum minime idoneum fuisse, iterum nobis in mentem venit, si haec verba legimus. Quis enim crediderit, hominem, cui Lentulus vir cautissimus fiduciam habuerit, tam leviter consilia coniurationis effutivisse, cum nullo modo certus esset, illos fidem praestaturos esse.

41. Non diu Allobroges haesitant; certum praemium speratae saluti anteponunt: Fabio Sangae omnem rem aperiunt. Neque vero, ut ait Sallustius, *tandem vicit fortuna reipublicae;* libere profiteamur iam hoc loco, Ciceronem in nostro libro non semper aeque tractatum esse. Ipse Sallustius crebris repetitionibus Ciceronis laborem etiam auxit eaque re demonstravit, provisum fuisse, ne respublica caderet; frustra coniurati arma capturi erant, cum civitas prompta et parata esset. Licet indicio Gallorum coniuratio penitus detecta sit, eventus eorum proditione non mutatus est. Non fortuna, sed vigilantia consulis urbs servata est, qui etiamsi inconstantissimus in ceteris fuerit, in hac re fortem se praestitit. Quaecunque enim post S. C. ultimum ab eo suscepta sunt, iam non urbis servandae, sed coniurationis convincendae causa facta sunt. Sallustius ipse paulo post scripsit, Ciceronem legatis praecepisse, *ut studium coniurationis vehementer simulent,* deinque operam, '*ut eos quam maxime manifestos habeant*'. Etiam hodie sunt, qui putent, fortuna urbem servatam esse, etsi senatus et magistratus omnes multo ante indicium Allobrogum eam muniverant, cuius erroris auctor est Sallustius.

42. Quae deinde de statu totius Italiae scripta sunt, neque accurata neque clara videntur. Refert enim Sallustius, ab illis, *quos ante Catilina dimiserat, inconsulte ac veluti per dementiam cuncta simul* acta esse, *in agro Piceno, Bruttio, Apulia motus* fuisse, in quibus reprimendis *Q. Metellus Celer praetor* laudem sibi paraverit. Per se non est verisimile, illos iniussu Catilinae *simul cuncta per dementiam egisse*, neque enim Catilina misisset homines, quos tam inconsulte rem coepturos esse expectandum erat. Kritzius *motus* illos non plenum tumultum, sed rerum omnium perturbationem et confusionem fuisse censet, sed ea interpretatione dementia coniuratorum etiam augeri videtur: aut velandum aut quiescendum erat. Fortasse autem hae res a Sallustio sine ullo auctore scriptae sunt, ut de praetoribus illis et eorum copiis aliquid narretur; neque enim quisquam praeter Sallustium huius tumultus mentionem fecit. Sallustium autem de rebus illorum dierum non satis certiorem factum esse, luculenter apparet ex eis, quae de urbe ipsa refert.

43. Multis verbis agitur de Lentuli laboribus et consiliis, de ea autem re, quae tum praecipue civium animos movebat, de causa Mureniana tacet; quod eo magis mirum est, quod Murenae fratrem paene hoc ipso spiritu nominavit. Haec causa, qua L. Murena sine dubio cecidisset, nisi Cicero nova comitia reipublicae propter coniurationem perniciosa futura esse affirmavisset, in completo de Catilina commentario silentio non praetereunda erat; consulis enim pro Murena oratio revera quinta Catilinaria est. Eam autem orationem his diebus habitam esse videmus ex Ciceronis ipsius verbis (§ 81). Quodsi huius causae mentio non facta est, iam fieri non potuit, ut de ceteris eius laboribus referretur. Nos autem scimus, Ciceronem tum custodiis dispositis urbem munivisse et ex Catilinae sectatoribus nonnullos pecunia corrupisse; in quibus fuisse Vettium quendam Dio (37, 41, 2) narrat, quo Caesar familiariter usus sit. Fortasse hoc quoque loco Sallustius tacere quam Caesarem nominare maluit. Drumann (V. 478 et 480) magnum numerum

nominum novit, quos Ciceronem adiuvisse constat; Sallustius autem, qui interdum vel minima expingat, plerumque graviora praeterit, quae ad Ciceronem attinent. Multi quidem putant, Sallustium non iniustum fuisse in Cicerone diiudicando, cum hoc loco eum *optimum consulem* nominaverit, sed hac parca laude vix species iustitiae servata est. Nam si contemplamur, quantis laudibus praedicaverit Catonem et Caesarem, quorum alter nihil, alter multo minus quam Cicero ad rempublicam firmandam contulerit, in brevi illa voce decora vituperatio latere videtur. Neque tam stultus erat Sallustius, ut aperte vituperando ipse se argueret; qua de re infra agemus.

Quae de Lentuli opera scripta sunt, non omnia satis fidei habent. Exstant de eadem re testimonia Appiani et Plutarchi; in Dionis libro has res lacuna maiore deesse dolendum est. Graeci auctores ut Sallustius narrant, novum consilium captum esse, sed apud illos consilium capitur, antequam Galli tentati sunt, et haec narratio vera est. Nam Sallustius ipse auctor est, futurum fuisse, ut arma caperentur, cum *Catilina in agrum Faesulanum cum exercitu venisset;* Catilinae autem adventus certo paulo post a. d. XVII Kal. Decembres ponendus est. Qui cum a. d. VI Id. Novembres ex urbe abiisset, putandum erat Sallustio, Lentulum, cuius lentitudo saepius increpatur, brevi spatio decem dierum omnia, quae hoc loco (inde a 39, 6) nuntiantur, et coepisse et egisse et insuper Gallos ad coniurationem propensos tenuisse. In ceteris Appianus, ut solet, Sallustium secutus est, Plutarchus autem nonnulla refert, quae ne ex Ciceronis quidem orationibus extracta sunt. Narrat enim, caedem illam, cuius Sallustius quoque mentionem facit, cuncto senatui et quam plurimis nobilium paratam fuisse, nominatim exceptos solos Pompeii liberos fuisse. Saturnalium diem invito Cethego, qui rem tamdiu diducere noluerit, magnae huic caedi destinatum fuisse.*) Cicero quoque (in Cat. III. 10) cum diem

*) Lange, Römische Altertümer III, 245 docet, eum diem fuisse a. d. XVI Kal. Januarias.

nominat, neque hoc Sallustio neglegendum erat, cum festus dies caedi opportunissimus esset. Plutarchus narratione cohaerentiam rerum servat easque clariores reddit; dubii illius numeri solum sunt, cum ex Sallustii *duodecim locis incendio opportunis* apud eum centum facta sint et praeterea aquaeductus intercluditur. Res autem ab eo prolatae per se verisimilia sunt.

Unum est, quod intellegi non possit, Lentulus apud Sallustium coniuratis praecepit, ut *caede et incendio perculsis omnibus ad Catilinam erumperent.* Drumann (V. 484) rem non inspectam recepit; Mommsen (III. 187) eam ita interpretatur, ut erumpendo coniunctio cum Catilina fieri debuerit. Optime Hagen (pag. 237) quaerit, cur non potius Catilinam intromiserint; extra urbem magis metuendum erat, ne coniurati opprimerentur, cur igitur ex urbe progressuri erant, quam ceperant?

Iam ad eas res Sallustius pervenit, quae Ciceronis orationibus notissimae sunt. Omnia narrata sunt, ut apud Ciceronem; per Allobroges consul a principibus *iusiurandum signatum postulat,* quod omnes praeter Cassium *nil suspicantes dant.* Lentulus eos cum Volturcio Faesulas mittit, ut *cum Catilina data et accepta fide societatem confirment;* Volturcio *literas ad Catilinam dat, quarum exemplum infra scriptum est.* Hac autem literae apud Ciceronem non eisdem verbis traditae sunt (Cat. III. 12), atque apud Sallustium; quo factum est, ut alterum eorum commenticia scribere multi credant. Hagen utramque epistulam diligenter perscrutatus est atque paene res ipsas ideo in dubium vocat. Censet enim Lentulum tam securum esse non potuisse ut *Volturcium 'quendam'* cum Gallis mitteret. Virum in coniuratione spectatum ad tale munus eligendum fuisse, si literas clandestinas mansuras esse ille speraverit. Sed in hoc vehementer errat, cum Ciceronis speculatores nobilem aliquem coniuratum etiam multo magis animadvertissent. Volturcius aptissimus ad hoc mandatum erat, quippe qui ante paucos dies in coniurationem receptus nihil gravius prodere posset. Qui si animo praesente fuisset, facillime noctu

et in ponte epistulas abiecisset. Consilium Lentuli nequaquam stolidum erat, neque causa est, cur de rebus narratis dubitemus, praesertim cum Cicero (III. 4), Plutarchus (Cicero 18), alii idem narrent. Pauculum quidem hi a Sallustio differunt, quod Gallos quoque praeter epistulas ad magistratus suos literas ad Catilinam habuisse dicunt, sed Sallustio hic magis fides habenda est, quam ipsi Ciceroni, neque enim praeter eam epistulam, quam Sallustius memoriae prodidit, alia opus erat. *Quis sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites, in quanta calamitate sis, et memineris te virum esse. Consideres, quid tuae rationes postulent; auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis.* Haec scilicet epistula a Cicerone (in Cat. III. 12) discrepat atque ea de causa multi eam falsam putaverunt. Neque vero in sententiis ulla repugnantia est, ac si nobiscum reputamus, Ciceronem ipsum curavisse, ut huius epistulae quam plurima exempla per totam Italiam distribuerentur, apparet, Sallustium fallere neminem potuisse. Facile credemus, Ciceronem memoriter epistulam in oratione sua reddidisse. Ea interpretatione omnis discrepantia remota est. Nonnulli ex eis, qui Sallustium sequuntur, Ciceronis orationem, quae est tertia in Catilinam, hac de causa spuriam esse censuerunt, quod praepropere factum videtur; nam fabricator orationis certe non minus Sallusti opus sibi adsumpsisset, quam illi, i. e. in adulteratione cuiusvis ad verbum ex Sallustii libro epistula transscripta esset. Haec ipsa igitur discrepantia magnum argumentum veritatis illius orationis est.

Quaerat quispiam, cur hanc potissimum epistulam receperit, neglectis ceteris ad Allobrogum magistratus. Sallustius ipse ex adulescentia recordatus esse videtur, hanc epistulam maioris momenti fuisse, neque vero rem satis cognitam habuit. Clara est res apud Ciceronem; hic quidem in oratione sua (III. 8) initio simulat, se de hac quoque epistula edoctum fuisse, quo maiorem laudem sibi paret; ex ipsius autem narratione videmus, eum non minus oppressum fuisse, quam ceteros, cum Volturcius ab Lentulo irritatus hanc epistulam promeret. Neque

enim epistulae ad Allobrogum magistratus, quae antea recitatae erant, quidquam demonstrabant, tam caute compositae erant; hac autem epistula, quae casu prensa erat, ita turbati sunt coniurati, ut infitiari non auderent. —

45. Prehensionem coniuratorum per Flaccum et Pomptinum praetores Sallustius convenienter cum Cicerone (III. 5) narrat. Cicero de ea re uberius dicit, ut ipse se laudare possit; Sallustius more suo silentio praeterit, quae ab illo facta erant. Ita intellegimus, cur scriptum sit a Sallustio, Gallos *cito cognito consilio* sine mora praetoribus se tradidisse; num Cicero eos de consilio suo celavit? Nonne Sallustius ipse (41, 5) antea narravit, eos Ciceronis iussu egisse? Nonne verisimile est, hunc prehensionis modum ex sententia eorum adhibitum esse, ne aperte delatores viderentur, si literas consuli sponte traderent? Hagen Sallusti narrationem tueri studet, cum dicat, omnes transactiones cum Gallis a Sanga habitas esse, consulem se retinuisse; sed nimia ea cura defendendi est. Nequaquam credibile est, legatos, qui gravitatem rei non ignorarent, cum simplici senatore egisse, cum nemini ignotum esset, quanto studio consul documenta suspicionis suae quaereret. Sallustius ipse memorat, eos ex notitia sua quam maximum commodum trahere voluisse; consul autem, postquam a senatu reiecti sunt, vix denuo eos ad se admisisset, nisi certior factus esset, eos aliam rem secum tractaturos esse. Introduxit eos Sanga, neque vero cum eis porro egit. Ei, qui ne pilum quidem boni viri Ciceroni tribuunt, his verbis nixi omne Ciceronis meritum negaverunt. Concedendum est, eum ambitione ductum Fabii Sangae nomen praeteriisse, ut ipse totam laudem haberet. Neque tamen idcirco Ciceronis meritum Sangae tribuendum est. Sane gloriatio consulis tanta fuit, ut nimis magna de se ipse loqueretur; sic hoc loco, ut res gravior videatur, refert *pugnam commissam* interventione praetorum sedatam esse. Forsitan plebs Romana non minus talia crediderit, quam conciones nostrae actatis; tamen probabilius Sallustius scripsit: *Galli sine mora se tradunt, Volturcius primo gladio se a multitudine defendit, deinde*

ubi a legatis desertus est, . . . timidus velut hostibus praetoribus sese dedit. Neque enim praetores, quorum auctoritas etiam apud Ciceronem statim agnoscitur, concedere potuerunt, ut caedes inutilis fieret. Tamen Sallustii narratio manca est, cum rem gravissimam, deditionem epistolarum, omnino oblitus sit.

46. *Rebus confectis* consulem *ingens cura atque laetitia simul occupavere,* si Sallustio credimus; sed hic in depingendis affectibus Ciceronis non tam ullam traditionem, quam imaginationem suam secutus videtur esse. Consul enim ipse (III. 6) nullam mollitiem ostendit: frigide secum reputans noxios allicit, comprehendit, firme sententiam suam in consilio familiarium obtinet. Ac ne causa quidem ulla haesitandi erat; nihil novi, nihil praeter opinionem evenerat; cur igitur anxius fuisset? De epistulis ipse non iam edoctus erat, sed credidit, eas multo magis captiosas futuras esse, quam erant. Tota igitur animi pictura a Sallustio scripta videtur, quia rem in discrimine esse ratus more antiquorum auctorum intestinam viri sui repugnantiam pingere studebat.

Igitur confirmato animo vocari ad se iubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium itemque Caeparium. Cicero etsi diverso ordine, eosdem nominat, Caeparii paulo post (III. 14) mentionem facit ibique confirmat, eum ex urbe profugisse; Sallustius infra (47, 4) eum ex itinere retractum esse docet. Mira est particula *igitur,* qua hoc factum adnexum est. Hagen cum eam ineptam esse negare non possit, interponenda esse fere haec censet: 'quamquam anxius erat, et poenam illorum sibi oneri futuram esse credebat, non dubitabat, communi saluti se immolare', *igitur* etc. Atque serio in hac particula summam Ciceronis laudem, etiam maiorem, quam in 'optimo consule' illo inesse affirmat.*) Sed praeterquam quod in ea significatione vix laudem ullam inesse vidimus, certe Sallustii brevitas vitiosissima esset, si postulavisset, ut ex vili illo vocabulo laudes

*) „Und dies igitur wird der grösste Lobspruch, den Sallust dem Cicero ertheilen konnte, vielmehr noch, als das optumus consul." — !!

Ciceronis exciperemus. Profecto miramur, quod sedulus interpretator in eam cogitationem incidit, cum vera interpretatio, hanc picturam (§ 2) a Sallustio libro confecto insertam esse, satis manifesta esset. Si paragraphus removetur, continua narratio Sallustii videtur esse.

Sallustius neglecta deliberatione familiarium (Cat. III. 7) et omissa detentione armorum apud Cethegum (III. 8) (Plutarch. Cic. 18) statim ad senatus sessionem, quae in aede Concordiae habita est, pervenit. *Magna senatus frequentia* Cicero *Volturcium cum legatis introducit.* Sunt, qui hoc loco Ciceronis tertiam orationem a Sallustio inspectam esse putent. Cicero quidem ille pariter de 'frequenti senatu' loquitur (III. 7), sed paulo post (III. 8) pergit: *introduxi Volturcium 'sine Gallis'.* Haec repugnantia rerum certo plus valet, quam similitudo verborum. Ciceronis autem narratio sine dubio et verior est, (totus enim senatus praesens erat,) et verisimilior, neque enim advocatus peritus unum nocentem coram aliis interrogavisset.

47. Apud Sallustium *Volturcius primo fingit alia, post, ubi fide publica dicere iussus est, omnia, uti gesta erant, aperit.* Cicero (III. 8), quem Plutarchus (Cic. 19) et Dio (37, 34, 2) secuti sunt, dicit, se Volturcio fidem publicam dedisse, priusquam interrogaverit; Sallustius erravisse videtur, sed res levior est. Volturcium omnia, ut gesta erant (44, 4—6) rettulisse, etiam Cicero confirmat*); neque vero apud eum Autronius, Servius Sulla, Vargunteius a Volturcio insimulantur. De suo haec nomina Sallustius adiecisse videtur; nam si Volturcius de coniuratione nihil amplius sciebat, quam legati, verisimilius est, eum Publium, quam Servium Sullam nominavisse. Ille enim magis suspiciosus erat, quam Servius frater. Fortasse his nominibus monstrare denuo studuit, hanc coniurationem continere cum ea, quam capite 18 narravit, ubi haec nomina eodem ordine posita sunt.

Tum Galli introducti *fatentur et Lentulum praeter literas*

---

*) De epistula ad Catilinam confer, quae dicta sunt pag. 52.

sermonibus coarguunt. Sallustius interrogationem aliorum omittit, de qua Cicero copiose dixerat; ac ne in Lentulo quidem memorat, eum in recitandis eis literis, quarum exemplum supra scriptum est, perturbatum confessum esse. Sallustius suo iure eiusmodi interrogationes in historia praeteriit, quippe quae momenti nullius sint; totam rem comprehendit verbis *igitur perlectis literis senatus decernit.* Hagen hanc novam recitationem esse ratus, cum apud Ciceronem (III. 12) altera Lentuli ad Catilinam epistula recitata sit, bis coniuratos a consule interrogatos esse censet. Auctor erroris Cicero est, qui iam antea (III. IV) in maiorem sui gloriam simulaverat, se de hac altera epistula edoctum fuisse. Cicero autem ipse (pro Sulla 41), ubi de perscriptione responsi Gallorum et coniuratorum accurate agit, saepius *unum indicium* a se pervulgatum esse docet. Si revera Sallustius hic duas interrogationes intellexisset, nimis obscure narravisset, neque vero eam ob rem hoc loco vituperandus est. Quae senatus decrevit, a Sallustio (47, 4) non plena tradita sunt. Atque quod non omnes, qui in liberam custodiam tradebantur, enumeravit, laudandus est, neque enim poenae sceleratorum hominum memorabiles sunt. Sallustius vero etiam de supplicatione, quae Ciceronis nomine decreta est, tacuit; dixerit quispiam, ne eam quidem memorabilem esse, et id suo iure, sed cum Sallustius ab antiquis annalium scriptoribus morem receperit, ut prodigia, quae etiam vaniora sunt, enarret (30, 2), supplicationes quoque more illorum memorandae erant. Si supplicatio alii cuidam, ac Ciceroni decreta esset, haud scio an rettulisset; neque enim in eis, quae tacet Sallustius, partium studio liber est. Sic hoc loco primum Caesar cum Crasso nominatur in numero eorum, quibus coniurati traduntur; quanta autem insimulatio in ea re fuerit, non expositum est, ut Caesari parcatur. Neque tamen pariter Crassus tractatur; de eo enim statim eum in modum agitur, ut nocens videatur, Caesari autem paulo post laus divina tribuitur.

48. Etiam quae sequuntur, non sine ira ac studio scripta sunt; neque enim de gaudio civium referens memorat, hanc

laetitiam Ciceronis tertia oratione ortam esse. Insuper eius gloriam deminuens dicit, mobilem plebem *mutata mente* cum *ad caelum tulisse.* Postridie Tarquinius quidam ad senatum adductus *docet, se a M. Crasso ad Catilinam missum esse,* quo *magis properaret ad urbem accedere, sed . . . omnes conclamant, indicem falsum esse, deque ea re postulant uti referatur.* Sallustius rem ita scripsit, ut Crassus liberatus videatur clamoribus eorum, qui ei ex *negotiis privatis obnoxii* erant; nemo in legendo non credet, Ciceronem succurrisse, etiamsi eum nocentem putaret. Atque Plutarchus (Crass. 13) narrat, Crassum a Cicerone nocentem habitum esse; eam autem opinionem consul ostendebat, ut maior gloria sua esset. Certo Dioni (37, 35) credendum est magis, qui scripsit *οὐ μέντοι πολλοὶ ἐπίστευσαν·* neque enim tam stultus Crassus erat, ut etiam tum crederet, Catilinam victurum esse. Sallustius Tarquinio libenter credit, cum utraque coniuratio cum Crassi persona facile coniungi et quodammodo una videri possit, quod ipse per totum librum affirmavit. Item Sallustius persuasum habere videtur, Tarquinium a Cicerone immissum fuisse, ceteros enim rumores solum memorat, huius Crassum ipsum testem affert. Quae opinio sine dubio falsa est. Cicero gaudebat, quod antea epistulis inter cenam traditis Crassum coegerat, ut publice coniuratos derelinqueret; cum potentem virum accusare non auderet, stultum fuisset, eum irritare. Si hoc modo coniurationem impugnare voluisset, sine dubio Caesarem petere maluisset, qui tum a Crasso auctoritate multo superaretur. Denique non satis constat, cuius impulsu Tarquinius index exstiterit. Haud scio an praemiis illectus, quae senatus ceteris delatoribus decreverat, nullo suadente indicaverit. Dio nec nomen indicis novit, et cum *ἀλλήφθέντων τινὰ* fuisse dicit, sed Sallustii narratio maiorem fidem habet; si enim quis vinctorum socios prodidisset, hoc nobis ab aliquo auctore nuntiatum esset.

49. Tarquinium non a Cicerone 'immissum' fuisse, facile videmus ex eo, quod Sallustius ipse memoriae tradidit de C. Pisone et Q. Catulo, cui Catilina literas illas miserat. Ipse

enim narrat, hos Ciceronem impellere non potuisse, *uti per Allobroges aut per alium indicem C. Caesar falso nominaretur.* Quod autem dicit, Ciceronem precibus, *gratia, pretio* ab illis tentatum esse, error non sine malitia est. Primum enim ea honestate erat Catulus, ut nemini credibile sit, eum falsos testes excitaturum fuisse; deinde ex Plutarchi vita Caesaris (cap. 6) compertum habemus, eum duobas annis ante eum non iam ex *petitione pontificatus odio incensus* esset, Caesari idem crimini dedisse. Nam ita Caesar vivebat et in republica versatus est, ut facile crederetur, eum a consiliis coniuratorum non alienum esse, praesertim cum pauci divinarent, quantum in eo ingenium esset; prudentior erat, quam ut rem desperatam susciperet. In suspicionem scilicet incidit, cum coniuratos in senatu fortiter defenderet; sed id ex nobili officio fecit, non quia coniuratus erat. Sallustius ipse dubius est, utrum nocens fuerit, necne. Piso autem et Catulus bona fide eum coarguisse videntur, neque enim hi soli Caesari diffisi sunt: *magnam* Caesari *invidiam conflaverant, ut nonnulli equites .... egredienti ex senatu gladio minitarentur.* (Hanc rem a Sallustio paulo anticipatam esse, infra videbimus.)

50. *Dum haec in senatu aguntur* porro scriptum est. Neque vero ea, quae capite 49 referuntur, in senatu acta sunt; hoc igitur caput ut nonnulla superiorum serius insertum videtur. In ultima senatus sessione de Tarquinii indicio consulebatur et de praemiis eorum, quorum *indicia comprobata* erant. Inter hanc deliberationem Lentulum et Cethegum lectos suos oravisse Sallustius narrat, ut *grege facto ad se irrumperent.* Quaecunque Sallustius narrat, etiam ab aliis relata sunt, tamen quod ad dierum terminos attinet, neglegentior videtur fuisse, ut obscurum apud eum sit, utrum Nonis Decembribus, an pridie Nonas res agantur. Atque eius neglegentia temporum*) ab omnibus fere interpretibus concessa est; sunt etiam, qui

*) „Gleichgiltigkeit gegen das chronologische Detail.“ Drumann a. a. O.

hoc ei laudi tribuerint. Hoc loco ex verbis *paulo ante* (50, 3) apparet, ei statum temporum non ignotum fuisse; scripsit enim Sallustius *paulo ante senatum indicavisse, illos contra rempublicam fecisse.* Quod consultum si paulo ante seditionem urbanam factum est, senatus pridie Nonas Decembres convocatus est. Apud Dionem enim scriptum est, consulem ea nocte, quae damnationi coniuratorum antecesserit, praesidia disposuisse, ne servi et clientes illos liberarent (37, 35, 3). Damnati autem sunt coniurati Nonis Decembribus (Cat. IV). Appianus (II. 4) auctor est, θόρυβον in urbe fuisse, dum in senatu de coniuratorum poena actum sit, sed hic tumultus sine dubio idem est, de quo Sallustius refert, praesertim cum Appianus ubique Sallustium secutus sit. Omnes autem testes aeque, ac Sallustius narrant, tumultus a consule ipso repressos esse, et idcirco hunc senatum convocavisse. Quae Dio et Plutarchus (Cic. 19) praeterea de hac nocte referunt: 'consulem extra domum suam dormivisse, cum apud eius coniugem Vestales diem festum agerent; tum uni ex eis prodigium visum esse, quo consul ad fortiter agendum impulsus sit', haec ab Sallustio iure omissa sunt. Magis enim vehementia consulis ex illo tumultu intellegi potuit, quam ex omnibus prodigiis. Tamen Sallustium non minus fugit, quam ceteros, unde haec subita fortitudo orta esset. Cicero ipse in oratione, quam pro Sestio habuit, docet, se tam vehementem fuisse, cum certior factus sit, hunc quaestorem cum praesidio Capuae urbis prope adesse. Haud scio an Sallustius in hac parte concipienda minus diligens fuerit, quod attentus erat ad magnas orationes, quae sequuntur. Omnia enim usque ad caput 51 tempore plusquamperfecto narrata sunt, quod tempus hoc loco absurdum est. Hagen quidem (pag. 314) longam quaestionem de hac re instruit atque res fere incredibiles ex mutato tempore excerpit; neque vero eius proposita cuiquam probabilia sunt. Fieri non potest, ut haec (§ 4) eodem tenore scripta sint, quo cetera; verisimile est, haec ab auctore, cum librum denuo percurreret, festinanter addita esse, ne nimis praeceps transitio ad orationes sit. Bre-

vissime de rebus, quae Nonis Decembribus in senatu actae sunt, Sallustius dicit, sed haec brevia verba de gravissimis factis satis edocent, etiamsi Appianus brevitate in errorem inductus sit. Hic enim putat, omnium senatorum primum Ti. Neronem Silani sententiam impugnavisse; quod quamquam ante orationem Caesaris narratum est, tamen Sallustius scripsit, eum *permotum oratione Caesaris pedibus in sententiam Tib. Neronis* ivisse. Certo ea, quae Graeci scriptores de hac sessione referunt, Sallustio nota erant; videmus apud eum quoque illud *summum supplicium* a Silano propositum, quod postea aliter interpretatus est; Caesaris oratio ipsa scripta est, sententiae Neronis mentio fit, Catonis oratio ipsa tradita esse dicitur. Plutarchus scilicet (Cic. 29) memorat, senatum referente Cicerone, postquam Catonis sententia vicerit, Caesaris quoque sententiam de publicandis coniuratorum pecuniis decreturum fuisse, nisi Caesar ipse acerrime restitisset; quo factum esse, ut adulescentes ordinis equestris Caesari ex curia egredienti gladio minitarentur (cfr. Suetonii vit. Caesaris 14). Huc igitur pertinent, quae Sallustius in fine capitis 49 narraverat.

51. 52. Orationes ipsae a Sallustio diligentissime elucubratae sunt. Drumann (V. 207) non dubitat, sententias saltem orationis prioris Caesari tribuere, eaque de causa eam copiose in librum suum recipit: stilus enim orationum sine dubio Sallustianus est, neque vero stilus solum, sed totae orationes a Sallustio compositae sunt; de priore quidem oratione, quam Caesar habuisse dicitur, nihil certi habemus, sed cum altera Catonis oratio sine contradictione falsa sit, verisimile est, priorem quoque a Sallustio compositam esse, ut supra (cap. 20) Catilinae quoque oratio concepta erat. Appianus ipse, qui ceteroquin Sallustium secutus est, ex Catonis oratione, quam revera habuit, pauca verba affert, quibus Caesar acerbissime vituperatur. Cicero quoque (pro Sestio 28. ad Atticum 21 etc.) huius vituperationis saepe mentionem facit, atque Catonis ipsius verba usurpat; neque tamen aut Appiani, aut Ciceronis verba apud Sallustium inveniuntur. Dixerit quispiam, haec a

Sallustio propter amorem Caesaris tacita esse, cetera autem immutata remansisse. Sed cum ex omnibus testimoniis appareat, obiurgationem Caesaris fuisse summam orationis, quam Cato habuerit, hac interpretatione Sallustius male defenditur. Neque enim aliorum verba ita commutari debent, ut sententia contraria fiat. Maximo Sallustio honori est, si concedimus orationes ab eo more antiquorum scriptorum compositas esse; rhetorico enim Sallustio tantum laudis tribuunt, quantum historico scriptori detrahunt. Atque incertum est, utrum Sallustius ipse specimen artis rhetoricae, an veram traditionem pluris fecerit. Et in Caesaris interdum (§§ 30, 33), et in tota Catonis oratione facile recognoscimus eundem, qui initio libri corruptionem morum toto ex animo commiseratus est. Paene oblectat videre, quam similis Catonis viri integerrimi Sallustius videatur, si nobis in memoriam revocamus, eius vitam et publicam et privatam haud ita puram fuisse. Sed de hac re infra loquemur. Hae orationes a Sallustio accuratissime expolitae sunt, fortasse ut cum Cicerone certet. Linker loco laudato hoc adeo persuasum habet, ut credat, Sallustium in scribendo orationes Ciceronis in manibus habuisse, atque nonnulla in Catonis oratione (§ 35) emendare studeat verbis Ciceronis. Nos tamen supra saepius cognovimus, Sallustium Ciceronis libros non inspexisse ad commentarium suum perficiendum; verborum similitudine rerum discrepantia non amoveri aut occultari potest. Si cum Cicerone certavit, certavit arte, non fide rerum; quo factum est, ut quarta Ciceronis oratio, quamvis arte minus floreat, quam reliquae tres, historico magis placeat, quam artificiosae Sallustii elaborationes. Ceterum Schnorr von Carolsfeld has orationes opere suo tam accurate tractavit, ut nova inventa fieri vix possint.

53. 54. *Quoniam res obtulerat, silentio praeterire non fuit* Sallustio *consilium, quin utriusque naturam et mores aperiret*, Caesaris scilicet et Catonis. Forsan magis in rem fuisset Ciceronis mores et ingenium illustrare, quippe qui hoc anno illos omnino obscuraverit; sed de Ciceronis merito Sal-

lustius tacet, ubi potest. Si autem illorum mores et naturam bene aperuit, hac quoque re historicum delectavit. Asseverat, eos *ingenti virtute, genere, aetate, eloquentia prope aequales fuisse*; *magnitudine animo pares, item gloria, sed alium aliter fuisse.* Si haec una amborum virorum descriptio exstaret, male de eis edocti essemus. Nam praeterquam quod aetate circiter pares erant — Caesar tribus annis ante Catonem natus erat — cetera falsa sunt. Caesaris amicissimi ipsi non ausi essent, ei *ingentem virtutem* adfingere, neque Caesar huius laudis cupidus fuisse videtur, qua Cato omnes superabat. *Genere autem et eloquentia* nemo nisi Sallustius eos comparavit: Caesar enim illustrissima gente patricia ortus, Cato ex sanguine plebeio erat, neque post Catonis Censorii mortem per totum fere saeculum ullus Porciorum consulatu functus erat. Quod ad *eloquentiam* attinet, Caesar a Molone rhetore Ciceroni par aestimatus erat, qua laude Catonem, virum inhabilem, nemo dignatus est. Sallustius ipse sensit, se minus probabilia dicere, ideoque opinionem suam demonstrare conatur; sed ex omnibus verbis nihil videmus, nisi illos comparari non potuisse, cum alter indole et ingenio, alter moribus et religione praestans fuerit. Sed admodum trita res est: licet Catonis 'nobile letum', cuius admiratione tum tota urbs paene attonita erat, Sallustii quoque iudicium confuderit, neque tamen hi ambo anno 711/43 contraponendi erant. Si autem sibi proposuerat, anno 43 in libro de rebus anni 63 scripto Caesari unum ex optimatium factione opponere, hic unus erat Tullius Cicero; nam hic his duobus annis sine contradictione princeps senatus erat. Cato ad eum potentiae gradum nunquam accessisset. Caesari ipsi haec comparatio risum movisset; Sallustius autem non vidit, hos viros, ut ita dicam, incommensurabiles esse.

55. *Postquam senatus in Catonis sententiam discessit, consul . . triumviros, quae supplicium postulabat, parare iubet.* Consul igitur Catonis quasi instrumentum est; neque vero Sallustio ignotum esse potuit, Ciceronem hoc momento a Catone ipso '*patrem patriae*' nominatum esse, quod urbem servavisset.

Cicero quidem ipse in quarta oratione fingit, omnia a senatu, nihil ab ipso factum esse, sed Sallustius si eam orationem inspexisset, non minus, quam nos intellexisset, Ciceronem ea re cavisse, ne quis postea se accusaret. Quae de interfectione coniuratorum Sallustius scripsit, fortasse ipse praesens spectavit, ac magis eius narratio placet, quam Plutarchi (Cic. 22) et Appiani (II. 6), qui referunt, Ciceronem stipatum caterva ἡγεμονικωτάτων ἀνθρώπων unumquemque coniuratorum ex custodia in carcerem deduxisse. Certo Sallustius verius narrat, unum Lentulum a Cicerone deductum esse: 'idem ceteris fit per praetores'. Praetoribus enim non licebat, Lentulum, qui ipse praetor esset, prehendere. Hagen non inepte putat, hanc speciosam pompam non alienam esse a vanitate consulis, sed praeterquam quod nobiles Romani eius gloriationi non adeo indulturi fuissent, Cicero iam tum omnia vitabat, quae invidiam suam augere poterant. Itaque Sallustio in hac re fides habenda est. Etiam quod iussu triumvirorum et *laqueo* coniurati interfecti sunt, huc pertinet. Nam cum triumviris (lege Papiria 465/289) peregrinorum et servorum supplicia mandata essent, Cicero ostendit, illos non iam cives, sed hostes esse, quam opinionem in quarta oratione fortiter defensam esse scimus. Sallustius non incidit in errorem eorum, qui coniuratorum interfectionem 'necem' fuisse dicant, quia non legitime condemnati erant; quamvis Ciceronis adversarius fuerit, eum hac de causa ne uno quidem verbo increpat, cum sentiat, summum ius potissimum in rebus publicis esse summam iniuriam.

Postquam coniurationi in urbe finis factus est, Sallustius ad ipsum Catilinam redit; hic ex *omni copia, quam et ipse adduxerat et Manlius habuerat, duas legiones instituit.* Sallustius supra (cap. 32) dixerat, Catilinam 'cum paucis' in castra profectum esse, quod a Cicerone confirmatur, sed cum Plutarchus (Cic. 16) narret, eum *cum trecentis armatis* abiisse, Sallustius non vituperandus est. Erant trecenti pro ea multitudine sane pauci, quam Manlius coegerat, sed cum armati essent, mirum non est, quod eorum Sallustius mentionem fecit, *ex*

omni enim copia pars quarta erat militaribus armis instructa. Haec ipsa autem penuria armorum incredibilis esset, si Manlius, ut supra nuntiavit Sallustius, revera inde a comitiis anni 690/64 exercitum paravisset; scriptor hoc loco demonstrat, se supra erravisse. Generaliter iam hic dicendum est, Sallustii narrationem adversus finem libri probabiliorem esse, cum illa prima deceptio, qua maior pars commentarii laborat, iam minus valeat. Quae de numero et qualitate exercitus scripta videmus, non nimis accurata sunt, ideoque anteponenda certis numeris, quos apud Graecos auctores invenimus. Appianus plus viginti milibus fuisse narrat (II. 7), alii alium numerum habent, sed pugnae vix tria milia interfuerunt (Dio 37, 40). Dubium est, an duas legiones, quarum mentio est, plenas habuerit; haud scio an duas potissimum instituerit, quia is legitimus erat legionum numerus in exercitu consulis, cuius potestatem sibi arrogaverat. Legitimam enim speciem quam maxime servare studebat, et eam ob rem servos, qui fidissimi fuissent, repudiabat. — Quid inde a profectione usque ad Nonas Decembres Catilina egerit, nobis non satis traditum est; Sallustii autem narratio eum *per montes iter fecisse neque occasionem pugnandi dedisse, dum Romae socii incepta patravissent,* in se verisimilis est. Antonius si edoctus erat, Saturnalibus urbem incensum iri, intellegere possumus, cur tamdiu moratus sit; interfectio coniuratorum urbem servavit, iam diutius Antonius otiari non potuit, praesertim cum Catilinae exercitus in dies diminueretur. Qui cum videret, se resistere iam non posse, *reliquos magnis itineribus in agrum Pistoriensem abducit, ut occulte perfugeret in Galliam Transalpinam.* Dietsch optime coniecit, vocem *Transalpinam* interpolatione in librum venisse, cum dubitari nequeat, quin ad Allobrogas in Cisalpinam Galliam fugiturus fuisset. Tamen haec interpolatio satis antiqua est, cum ea manifesto Appianus inductus sit, ut crederet, Catilinam in Alpibus montibus circumventum esse. — Ceterum res geographicae difficultatem non habent; Hagen multis verbis eas tractat, cum non intellegat, cur *per tramites* Catilina *Faesulis* in agrum Pisto-

riensem fugerit, cum via magna pateret. Sed bis in hoc uno erravit; neque enim Faesulis profectus est Catilina, sed propius *ad urbem castra moverat* (36, 4), ut socios in urbe adiuvaret; post Nonas Decembres septentrionem versus effugere non potuit, nisi *per tramites*, cum vias militares Antonius teneret. Deinde non 'orientem versus' Catilina evadere cupiebat; quod si voluisset, ineptum fuisset Faesulis Pistoriam, i. e. occidentem versus proficisci. Hagen sine causa statuit, eum orientem versus iturum fuisse, quia 'Metelli exercitus minor' fuerit, quam Antonii. Libentissime autem Catilina in Liguriam pervenisset, ubi adversarius nullus erat exspectandus; praeterea dubium est, an Metellus minori exercitui praefuerit. Hagen Dionem (37, 39) testem excitat, sed eius verba, Antonium *δύναμιν πλείω περιβεβλημένον* fuisse, nihil demonstrant; vertenda enim sunt: *qui potestate maiore praeditus erat.* Metellus duas Gallicas legiones receperat, quibus tertiam ipse addiderat; tot autem homines viginti diebus Antonius cogere non potuit. Praeterea ne tum quidem patres Antonio valde fidebant; itaque verisimile est, ei tot tantum homines datos esse, ut Metellus superior discedere posset, etiamsi Antonius cum Catilina se coniungeret. Atque pugna ipsa documento est, Catilinam cum Antonio, quam cum Metello pugnare maluisse. Hic celeritate sua prohibuit, quominus occidentem versus Catilina evaderet; superato monte Apennino e dextra manu Catilinam adoriri potuit, itaque hic retro cessit et Antonium aggressus est. Mommsen putat, Antonium petitum esse, quia propior esset, neque vero eius rei documenta habemus. Hoc scimus, eum facilius impugnari potuisse, cum numero inferior esset et impetus deorsum fieri posset; praeterea Antonio victo iter in urbem patebat. — Quod ad geographiam igitur attinet, Sallustii narratio minime dubia est.

58. Catilina cum undique clausus esset, cum Antonio confligere constituit. Sallustius refert, eum ante pugnam animos suorum oratione erexisse, quod per se verisimile est. Tamen monendum est, eam orationem, quae in libro nostro scripta est, a Sallustio inventam et conceptam esse. Quod condicioni optime

accommodata est, rhetorico, non historico laudi est. Cum liber festinanter scriptus sit, mirum non est, quod leviores nonnullae repugnantiae in oratione sunt: eidem Lentulo, cuius supra (32, 2) *cognoverat promptam audaciam*, hoc loco *ignaviam opprobrio* dat; ibi enim audaciam, hic ignaviam res postulabat. Dixerit quispiam, Catilinam calamitate edoctum sententiam suam mutavisse, sed facile uno verbo id significari potuit. Idem dicit, se propter *socordiam Lentuli in Galliam proficisci nequi*visse; sed manifestum est, Catilinam Lentuli consilium, ut Saturnalibus urbs incenderetur, comprobavisse. Itaque Lentulus immerito increpatur. Neque ante Nonas Decembres de fuga in Galliam quisquam cogitavit, cum omnes coniurati sperarent, se superiores discessuros esse. — Sed eiusmodi errores leviores sunt, tota oratio aptissima videtur, si comparatur cum ea, qua Sallustius (cap. 20) coniurationis initium fecit. Hic enim illa praeiudicata opinio vim ullam habere iam non potest.

Sequitur pugna, quam accurate Sallustius pinxit. Sunt, qui hic quoque pauca corrigenda esse censeant: nullum locum circum Pistoriam hodie esse, qui cum descriptione Sallustii absolute conveniat. Sed credibilius est, naturam locorum ibi per saecula mutatam esse; tam multi enim tum, cum liber ederetur, vivebant, qui pugnae interfuerant, ut Sallustius in hac re falli non posset. Alii interrogaverunt, unde Catilina aquilam Marii sumpserit; ac mirum sane esset, si Romani superbi tropaeum victoriae Cimbricae in primi cuiusque manibus reliquissent. Sed Cicero idem apud frequentem senatum dixit, itaque res in dubium vocari non potest (Cat. II. 13). Quot homines Catilina in pugnam duxerit, Sallustius non narrat; neque vero ita multi erant. (Dio eos tria milia fuisse refert, qui numerus certe non nimius est.) Hoc parvo ex numero autem apparet, ea, quae de natura locorum Sallustius memoravit, vera esse. Neque enim in campo aperto tam pauci tamdiu resistere potuissent.

Scite de C. Antonio Sallustius scripsit. *Antonius, pedibus aeger quod proelio adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit.* Drumann interpretatur haec, Antonium

Petreio exercitum permisisse, quod pedibus aeger esset; ita interpretari haec verba licet, sed cum Dio dicat, Antonium morbum simulavisse, ne sodalem suum perdere coactus esset, melius interpretamur, Antonium, '*pedibus aegrum, quod proelio adesse nequiret*', Petreio imperium mandavisse. Haec interpretatio ingenio Antonii aptissima est.

60. Aliud factum, quod satis significans est, Sallustius silentio praeterit; Dio autem narrat Antonium proelio commisso caput Catilinae Romam misisse, neque imperatoris nomen repudiavisse (37, 39 et 40). Sallustius totus in expediendo certamine versatus nonnulla omisit, quae memorabilia sunt; tempus pugnae Dio nobis nuntiat, mensem Januarium anni 692/62.

In fine libri sui Sallustius magis poeta quam rerum scriptor videtur: pulcherrimam laudationem, ut ita dicamus, funebrem caesorum coniuratorum elaboravit; *Laetitia, maeror, luctus atque gaudia* exercitus memorata sunt. Ea autem, quae in urbe coniurationem secuta sunt, indicia sordida et causae foetidae, silentio praeterita sunt. Neque narratur, quomodo ceteri tumultus in tota Italia oppressi sint. Quae etiamsi minus gravia sint, in commentario completo memoranda erant. Nobis ea omittenda sunt, cum non historiam Catilinae scribere, sed Sallustii librum diiudicare in animo habeamus.

Restat, ut in fine quaestionis singillatim habitae denuo moneamus, Sallustii narrationem in progrediendo magis magisque probabilem fieri; rarius a ceteris auctoribus dissentit, interdum illis anteponendus est, ubi primus ille error turbare res non potuit. Neglegentiae nonnullae in libro, quem primum auctor edidit, offendere non possunt. — —

Si iam interrogamus generaliter, quae sit fides totius commentarii, quae ratio scriptoris, imprimis statuendum est, Sallustium — quod in viro Romano grammatica et rhetorica arte instructo non mirum est — a veritate saepius declinavisse, cum nimis convenienter et consequenter scribere studeret. Cum res ipsae nullum punctum praeberent, unde unice omnia intellegi et considerari possent, eiusmodi principium a scriptore ipso in-

veniendum erat. Atqui de suo nihil inserere rerum scriptor debet, quod non ex ipisis rebus apparet; itaque Sallustius facta non sine licentia disposuit et id eo magis facere coactus erat, quod ei ipsi anni, de quibus scribebat, labyrinthus, ut ita dicam, machinationum ambitiosarum erant, quae nequaquam omnes idem spectabant. Movens autem illud principium, quo opus erat, Sallustius sibi paravit in ingenio eius viri, de quo scripturus erat; quae ratio interpretandi *ex animi motu* non tam vera, quam iucunda est. Neque vero delectandi causa ab vero historia abhorrere debet.

Ac cum Catilina exemplar singulare coniurati videretur, Sallustius eum imprimis ad coniurandum aptum et paene natum finxit. Qua in re infeliciter accidit, quod illa anni 66 coniuratio ei nota erat, qua nonnulli potentissimi viri principatum sibi parare studuerant. Idem autem Catilina (NB fortasse) anno 63 petiverat, ac cum constaret, cum priori quoque coniurationi interfuisse, rerum scriptor sine fontium inspectione facile induci potuit, ut crederet, eum iam tum rerum potiri voluisse. Sallustius bona fide per hanc analogiam conclusit, neque hac de causa fieri potuit, ut rem vere intellegeret et describeret. Nam si Catilina hanc regnandi cupiditatem per tres annos in adversissimis rebus servavit, eam natura eius ingenio insitam esse opus erat. Cum autem ex adulescentia Catilinae nihil ei notum esset, nisi eum Sulla dictatore proscriptos crudelissime persecutum esse, Sallustius coniecit, eum speravisse, se alterum Sullam futurum esse. Quae retrospiciens ingenii morumque interpretatio verum assequi non potuit, cum homines eorumque ingenia crescendo progrediantur ideoque ex progressu intellegendi sint. Neque igitur crudelis ille Catilina ex petitore regni interpretandus erat, sed hic ex illo. Omnes fontium inspectio per se Sallustium adduxisset, ut res ab initiis ad finem sequeretur, non versa vice. Studium autem illud, quod Baur iure ei tribuit *omnia generaliter considerandi et sub unam cogitationem subsumendi* eum impulit, ut sine ulla dubitatione et moderatione quodvis ex illa *dominandi cupiditate* vel similibus animi motibus in-

terpretaretur et omnia, quae aliter non intellegebat, ex hoc summo eius stimulo derivaret. Hoc genere interpretationis, ut graeco verbo utamur psychologicae, scriptor Sallustius praestantissimus est, sed in scriptori historico vituperanda sunt saepius ea, quae scriptorem ornant. Iam ab initiis quaestionis nostrae videmus, quantum veritati nocuerit, quod Sallustius praeiudicatam illam primam opinionem summa pertinacia per totum librum servavit: 'prior coniuratio penitus detorta est, de Sulla et Catilina falsa traduntur, senatui incredibis quaedam clementia in inimicissimos suos tribuitur, Catilina princeps coniurationis Pisoni adulescenti postponitur, posterior coniuratio per incredibile spatium diducitur, etiam huic a senatu parcitur, Catilina legitime et contra legem operam dat eaque re ipsa secum repugnat, tum homo sceleratus et impudens, tum vir fortis et prudens videtur, qui pro sententia sua paene heroice sanguinem profundat', — ne plura, sed omnia haec ex illa opinione prodierunt, omnia secum minora alia menda adduxerunt; exempli causa in memoriam revocemus, quotiens diductio coniurationis in tempus longius nobis notanda fuerit. Chronologica illa transpositio contionis apud Laecam habitae, senatus consulti ultimi, quodammodo transactionis cum Gallis facillime intellegitur, si nobiscum reputamus, Sallustium tantum tempus sola inventione explere non potuisse. Tamen ex transpositione contionis illius apparet, veram rerum continentiam ei ignotam fuisse; neque enim hoc cardine totius coniurationis mutando difficultatem superavisset, si cognovisset ea re continuationem rerum obscurari. Arte quidem scribendi et illa psychologica interpretatione effecit, ut minus manifesta licentia sua sit. Etiam magnos historicos speciosa dictione fefellit; multi eum hodie defendere student, cum dicant, haec omnia levia esse, totam autem narrationem fide non carere; maxima sane est ars, qua Sallustius illis probavit ea, quae nuntiat, neque vero historico tam propria narratio probanda, quam vera narratio eruenda est.

Quaerat quispiam, utrum sciens volensque eos errores Sallustius admiserit, necne; utrum ex diligenti fontium exami-

natione orti sint, an aliorum testimoniis nitantur. Supra passim memoravimus libros eorum, qui Sallustium ex fontibus hausisse censent; etiam plures eorum enumerare possumus, sed vix operae pretium est, cum sine dubio omnes illi erraverint. Qui sine ira ac studio rem diligenter tractant, quamvis maximi faciant Sallustium, Wirzio (pag. 56) concedent, eum ex nullo fonte hausisse, nisi ex *fallaci memoria*. Quae sententia insuper scriptori secundissima est, nam si fontes perscrutatus esset, illi errores essent mendacia. Sallustius pro facultate ingenii sui putabat, se describere posse, quae ipse in republica vidisset, etiamsi antea rei operam non dedisset. Qua in re animi vires et defectus experientiae rerum scribendarum eum satis excusant; orationes Ciceronis, quae iam tum ab eruditis saepe legebantur, ignarus difficultatis affatim se novisse credebat. Nonnullae in vocabulis similitudines (quas Duebi in dissertatione *de fontibus ac fide Sallustii* composuit) cum Cicerone, si comparantur cum discrepantia rerum, non ex libro in librum transscriptae videntur, sed in Sallustii memoria singularitate sua haeserunt. Etiam de minoris momenti rebus, quas praesens videtur vidisse, caute eius narratio excipienda est, cum viginti annis post coniurationem scripserit; si a ceteris testibus discrepat, ea quae narrat, indubitabilia non sunt, nisi eo anno, quo liber edebatur (711/43) facile ab eruditioribus civibus explorari poterant. Senatus consulta igitur, quae tradita sunt apud eum, etiamsi temporum ordo interdum mutatus sit, authenticis e tabulis excerpta sunt; eadem de causa index coniuratorum, qui ex senatus consulto de poenis eorum tractus videtur esse, completus est (cap. 17). Accidit etiam, ut authentica, quae affert, velut Catilinae epistula, ipsius narrationem refutent. Interdum Sallustius ipse vocabulis, quae usurpat, monstrare videtur, cohaerentiam in libro suo minorem esse. Studet enim materiam suam in cursu coniurationis, qualem ipse eam putavit, apte collocare, cum ex ea materia cursus constituendus esset. Quo factum est, ut in temporibus saepe erraret; qui eum defendere cupiunt, serio affirmant, consulto eum mu-

tavisse, id enim esse *inititium artificiosae 'historiographiae'*. Neque vero eiusmodi luxatio et temporum et rerum *maiorem intellegentiam*, sed *maiorem licentiam* demonstrat. Drumann ipse, qui hunc librum nimii aestimavit, in temporibus Sallustium '*paulo neglegentiorem*' fuisse confitetur. Haud scio an id aegre non tulisset Sallustius, cui non in animo fuerit, imaginem tam accuratam pingere. —

Sed quid spectavit in libro scribendo? Variae opiniones de ea re auditae sunt, quas brevissime Drumann collegit et — qua erat sententia de fide Sallustii — refutare conatus est. Primo eis, qui Sallustium impulsum odio vel invidia Ciceronis scripsisse putant, respondet, librum ipsum, qui consulem nunquam vituperet, satis documento esse ad refutandam illam opinionem; Sallustium omnino non scripturum fuisse, si Ciceroni obtrectare voluisset. Argumentum non tantum est, quantum primo auditu videtur. Neque enim in eis, quae Sallustius dicit, sed in eis, quae tacuit, favor et invidia cognoscenda sunt. Drumann quidem putat, causam non esse, cur occultas inimicitias inter Ciceronem et Sallustium fuisse coniciamus, neque vero opinionis suae documenta habet. Certo Cicero Sallustium odio suo non dignatus est; hic enim ne secundas quidem partes in republica egit, Cicero principis senatus locum sollemniter prae se tulit. Cicero praeter corruptos cives suos integritate quadam morum floruit, hic non sine macula erat. Auctoritatem mediocrem libris suis sibi paravit, sed ei omnes post Ciceronis mortem editi sunt. Sallustius autem adeo Ciceronem neglegere vix potuit; sine dubio Caesaris legatus Ciceronis in republica adversarius erat, et praeterea, etsi Drumann hoc negat, occultae fortasse causae odii erant. Constat, quod multi dubitanter concedunt, eum a Milone in stupro cum eius uxore prehensum, loris verberatum, in vinculis retentum esse, dum magna pecunia se solveret. Haud scio an per hanc occasionem Sallustius ad populares se applicaverit; paulo post Milo propter Clodii caedem accusatus ab illo acerbissime agitatus est. Cum autem Cicero Milonis defensionem in se reciperet et ea re dubium fieret, an

ille poenam subiturus esset, Sallustius, qui tum tribunatu fungebatur, Ciceronem quoque in omnibus concionibus graviter criminatus est; quarum machinationum Cicero in oratione, quam scriptam edidit, contemptim mentionem facit, etiamsi Sallustii nomen nusquam nominet. Quae despectio hominem superbientem, qualem Sallustium in exordio libri vidimus, non leviter laesit. Non liquet, utrum hac de causa Terentiam, repudiatam Ciceronis coniugem, in matrimonium duxerit, necne; Terentia eum aetate admodum superabat, ut subsecivam aliquam cogitationem has nuptias fecisse appareat. Utut res se habet, dubitari non potest, quin haec mulier dolosa et maligna eius odium etiam auxerit. Per se clarum est, Sallustium nunquam aperte ostendere, quam suspicioso e fonte hauriat, cum ea re narrationis suae fidem ipse diminuisset; callidiore ratione utitur. Drumann documentum iustitiae esse iudicat, 'quod consulem non vituperat'; verum hoc est,*) sed si Ciceronem laudare nolebat, neminum alium laudare debebat. Neque cetera, quae Drumann affert, idonea sunt; concedamus, Sallustium praeterire non potuisse, Ciceronem novum hominem fuisse. Sed cum memoret, nobilitatem antea impedivisse, quominus alii consulatum adipiscerentur, iustum erat dicere, Ciceronem propter merita nobilibus competitoribus antepositum esse. — Item Drumann dicit, Sallustium Ciceroni non opprobrio dare, quod coniuratos contra leges interfecerit. Vituperatur autem Cicero in oratione Caesaris; quam cum veram et authenticam Drumann censeat, illa opinio absurda est. Sed oratio a Sallustio libere concepta

*) Respondeamus Drumanno comparatione nostris ex temporibus petita: si quis rerum scriptor in historia belli, quod anno 1815 p. C. gestum est, Blucheri principis ter quaterve mentionem facit et, per nos licet, semel eum 'optumum mareschalum' nominat et, ut triumpho Ciceronis post interfectionem coniuratorum aliquid respondeat, post pugnam apud Waterloo commissam refert, quanto amore milites eum dilexerint, num quis hanc narrationem integre et vere compositam esse concedet? Attamen Ciceronis meritum in coniuratione retegenda maius est, quam Blucheri in hostibus persequendis. Cicero enim solus omnia fere perfecit, hunc viri egregii adiuverunt.

est. — Tamen monendum est, in oratione quoque illam opinionem tam neglegenter proferri, ut dubitari possit, an iuris violationem Sallustius penitus cognoverit.

'Nihil contra Ciceronem finxit', pergit Drumann, neque vero ea re quidquam demonstratur; qui alterum fictis conviciis obruere dubitat, a iusta aestimatione eius longissime abest. — Eo loco, ubi narratur, Ciceronem Crasso contumeliam imponere studuisse, Drumann Sallustium simpliciter *referentem* esse putat, quod multi negabunt. Sed cur non Catonis quoque sententiam, quam gravissimam esse sciebat, *simpliciter rettulit?* Si Catonis orationem omisisset; speciem iustitiae servavisset; quae nunc per eum nobis exstant, non sine ira ac studio scripta sunt. — Primam Ciceronis orationem editam esse memorat ideoque de ea tacere potuit; neque vero reliquae tres silentio praetermittendae erant, cum Catoni et Caesari facultatem dicendi faceret. Drumann censet, ea quae deficiant, facile e Ciceronis et graecorum scriptorum libris compleri posse. Sed haec ipsa expletio docet, omnia decora Ciceronis omissa esse; nullam eius imaginem habemus, honores ei decreti in senatus consulto exstincti sunt. Sint haec levia, sed cum alioquin vilissimas ineptias narret, concedendum est, eum non inter res, sed inter homines discrevisse. Haec differentia maior fit eo, quod Drumann affert, et Catilinam et universam rempublicam a Sallustio vere descriptos esse. Verisimile enim est, eum, si voluisset, aequam laudem in Cicerone describendo sibi parare potuisse. Drumann ipse negare non potest, Sallustium semper casum et fortunam reipublicae in lingua prompta habere, ubi Ciceronis labor nominandus fuerit. Praeterea status urbis apud eum tam corruptus est, ut paene aegre feramus, quod ea sentina vitiorum diutius permansit.

Vidimus, Sallustium in iudicando Cicerone non aequum fuisse, neque vero sequitur, ut consulto eum laeserit. Ciceronis laus et admiratio sui nemini magis stomachum movere debebat, quam ei, qui per Terentiam de Cicerone ea quoque audiret, in quibus vel maximi viri, in quorum numerum ille forsitan non referendus sit, parvi et humiles videntur. Ac fortasse merita

publici adversarii bona fide non agnovit; etiam nostra aetate vidimus, magnitudinem vel insignissimi in publicis rebus adversarii a multis in dubium vocari. Sallustium autem in scribendo factionum studio non liberum fuisse, apparet ex ceteris ad librum eius notationibus, quae ad eius relationes ad Caesarem pertinent.

Caesaris prima inventus non sine vituperatione peracta est; hoc loco ceteris omissis quaeramus, utrum cum Catilina permanenter coniunctus fuerit. Ac prior coniuratio sine dubio a Caesare instituta erat, Catilina, ut vidimus, Caesaris voluntati inserviebat. Ipse Sallustius Catilinae cum Crasso coniunctionem satis perspicue significat, Caesarem eadem ratione excusat, qua Ciceroni obtrectaverat: silentio. — Crassi insimulationem per Tarquinium factam ita describit, ut affatim firmata argumentis videatur, si autem Catulus et Piso idem de Caesare indicant, hunc incusatione eorum purgare studet. Nunquam Caesar minus feliciter et dixit et egit, quam in forti defensione coniuratorum; tamen Sallustius in coniurationis historia imaginem eius adumbravit, quo honore Ciceronem non affecit. Cum autem ea, quae de Caesaris ingenio moribusque scripsit, minime idonea sint ad intelligendam magni viri naturam, credendum est, Sallustium propriam eius magnitudinem perspicere non potuisse; non Caesaris natura, sed Sallusti intellegentia animorum ex illa descriptione iudicanda est. —

Etiam ex paucis locis, quibus Pompeii mentio fit, luculenter apparet, Sallustium Caesari favisse. Quod ad Catilinae coniurationem attinet, nemo civis integrior erat Pompeio, tamen vetus Caesaris sectator hic quoque eum rodit. Quod capite 19 narrat, Pompeium sicarios in Cn. Pisonem misisse, verum illud quidem videtur, sed haec diligentia molesta est, si nobiscum reputamus, Caesaris machinationes audacissimas ne uno quidem verbo memoratas esse, etiamsi multo magis huc pertineant. Item quod Pompeius Metelli et Marci Regis triumphos sibi vindicavit, etsi odiosum erat, tamen ex senatus consulto fiebat; Sallustius fingit, minores vi ab illo suppressos esse. Atque in excursu (cap. 38 et 39) de republica affirmat, corruptelam civitatis anno

Pompeii coeptam esse; hic autem, qua erat natura inhabili, per omnem vitam nihil fuit, nisi instrumentum in manibus hominum tractabiliorum, ubi e bello revertit. Sallustius igitur popularium partibus ita videtur addictus fuisse, ut simplicissimum adversarium sine ira ac studio diiudicare non posset.

Iam iterum quaeramus, quae sit ratio libri Sallustiani. Liber ipse cum simplici et prisca dictione, tum crebris affirmationibus maxime veritatis speciem habet. Moralia praecepta, a quibus orditur, permittunt, ut summa exspectemus aut postulemus; hoc morale dicendi genus utrum auctori consentaneum an arte comparatum sit, nihil refert, neque enim ex scriptoris natura, sed ex se ipso liber examinandus est. In libro autem res et facta saepe male intellecta, vitiose composita, interdum distorta sunt; crebrae repugnantiae, quae inde oriuntur, psychologica interpretatione magis obumbrantur, quam solvuntur, aut ubi id fieri non potuit, omnino negleguntur. Studium et ira manifesta sunt, atque praeiudicata factionis opinio non raro patet. Quae cum ita sint, iam antiquitus fuere, qui dicerent, Sallustium in honesto suo exordio simulavisse magnas virtutes, quo facilius hac nobili specie sententiam suam probaret; nonnulli etiam librum mercem mandatam fuisse censuerunt. Mommsen scripsit, ex moderatione scriptoris non sequi, ut 'nullae, sed ut bonae partium literae' sint. Iohn e contrario putat, ex libro ipso apparere, Sallustium tam mendacem non fuisse; nimis quidem audacter Iohn iudicavisset, si nullum praeter hoc opus Sallustii exstaret; sed habemus eius libros alios, in quibus causa mentiendi non erat, qui similiter scripti sunt. — Per se intellegitur, multos quoque Sallustium defendisse, in quibus Baur asseverat, se nescire, quid ad scribendum eum impulerit, nisi veritatis et historiae studium. —

Ante omnia statuendum est, Sallustium non scripsisse iussu potentioris alicuius. Caesar enim iam mortuus erat, cum Sallustius scribere inciperet, neque eius heredes nihil antiquius habebant, quam ut eius memoriam literis purgarent. Neque his populares magis accepti et grati erant, quam optimates; Caesar speciem reipublicae servaverat, hi aperte regnum pete-

bant neque illas partes ullo modo curabant. Itaque otio et producendi studio Sallustius impulsus est, ut scriberet. Et multimoda eruditio, et nobile studium, et — profiteamur libere, quod crescens in scribendo virtus huius libri et magis etiam maturitas postea editorum demonstrant — summa indoles ad scribendum eum adduxerunt. Non opus est explicare, quanto in errore plerumque vel eruditissimi homines, si inexperti sunt, de difficultate historiae scribendae versentur; etiam Sallustius putavit, se rem tam obscuram sine praeparatione describere posse, quia praesens eam vidisset. Sed sincerissimus quisque vir, qui rempublicam agere desiit et *memorabilia* sua scribit, in scribendo invitus ira et studio ducitur, hoc Sallustii quoque e libro apparet, quantumvis id celare studuerit. Medius inter partes esse sibi proposuit, sed naturam furca expellas, semper redibit; Caesar, cui maximam gratiam debeat, hac in re ita implicitus erat, ut nihil facilius ad eius ignominiam verti posset. Aut pietas, aut veritas laedenda erat; Sallustius utrumque noluit, et ita liber eius difficultatem insuperabilem superare non potuit.

Totum igitur Salustii opus videtur specimen historicum*) esse. Ratio est historica, quod ad materiam, rhetorica, quod ad stilum, politica, quod ad sententiam attinet. Praeiudicata quaedam opinio negari non potest, sed eam Sallustius vincere tentavit quidem et cupivit. Magis erravit, quod proposito satisfacere non potuit, quam quod noluit, tiro enim quodammodo historicus erat. Qui totum librum promiscue tuentur, sagacitatem profecto frustra impenderunt, sed e contrario ridiculum est credere, libellum foedo partium studio inservientem, per saecula legentium animos delectavisse. Liber non plene, sed praecipue historicus habendus est, et si nobiscum reputamus, quanti momenti sit, mores aetatis illius cognoscere, Sallustium una cum Tacito semper admirabimur.

---

*) historischer Essay.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE HISTORICA

QUAE INSCRIBITUR

„DE SALUSTII CATILINA"

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

D. XXIV M. FEBRUARII INDE AB HORA XI

IN PUBLICO DEFENDET

VALERIUS FELKE

PALAEOMARCHUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

GUILELMUS STENTRUP, SEM. PHIL. REG. SENIOR.

GUILELMUS TROCKELS, SEM. PHIL. REG. SOD. ORD.

HERMANNUS BECKER, SEM. PHIL. REG. SOD. ORD.

MONASTERII GUESTF.

EX TYPOGRAPHIA IOANNIS BREDT.

MDCCCXCIV.

Theses.

1. Theocrit. id. IV inter versus 37 et 38 nonnulla desunt.
2. Catilinae Sallustiani capita 18—22 post totius libri confectionem ab auctore inserta sunt.
3. Qui comitia anni 63 in mensem octobrem dilata esse censent, errant.
4. Res ante Pyrrhum gestae (hodie vix cursim in scholis tractatae) necessariae sunt ad intelligendam historiam rerum Romanarum.

Vita.

Ego Valerius Felke natus sum Buchii patre Friderico a. d. III Kal. Iulias anni MDCCCLXIII. Fide evangelica et literarum rudimentis in patris domo imbutus in gymnasium Bremense et postea in principalem scholam Portensem receptus sum. Maturitatis testimonium adeptus Tubingiae et Berolini philologicis studiis vacavi; sex annis peractis pro facultate docendi tentatus sum. Tum probandus magister Dusseldorfii et Adsindiae versatus post acceptam probationem gymnasio Barmensi me applicavi. Iam ad summos in academia honores impetrandos adeo.